
PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLIV / FASC. I
15 mart. 1955



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1955

IMPRIMI POTEST

Romae, die 10 martii 1955

P. Petrus M. Abellán, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 28 martii 1955

† A. Traglia
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DOCTRINA PONTIFICIA DE SYNDICATU OPERARIORUM

Summus Pontifex Pius XII. magis explicite de natura et scopo syndicatus operariorum locutus est, cum d. d. 11. III. 1945 Associationes Catholicas Laboratorum Italiae (ACLI) receperit (vide *AAS* XXXVII, pp. 68 ss). Ratio, cur Papa has associationes post clades et vulnera belli felicissime resuscitatas de re syndicali monuerit, fuit vere urgentissima. Notum est illis infaustis temporibus in Italia « Syndicatum Unicum » penes operarios ortum esse cui omnes operarii cuiuscumque convictionis religiosae et professionis politicae nomen dare potuerunt. Inde accidit, ut Catholici cum Communistis et asseclis Socialismi in unico syndicatu convenirent. Res sane mira quae explicari nequit nisi influxu autoritatis militaris alienae Italiam occupantis et quasi pleno defectu propriae traditionis in campo sociali, qui istis turbatissimis temporibus ut factum universale et ut effectus diutioris dominationis Fascismi in castris Catholicis dolendus erat. Praesertim homines Statunitenses, syndicalis rei periti, Italianis syndicatum unicum recommandaverunt, cum traditionis syndicalis in

Europa ignari typum syndicatus « neutralis » in propria patria usitatum in Italia introducere vellent. Jamvero « neutralitas », uti ab illis viris intellecta erat, a Communistis theoretice et practice alienissima est; unde post brevem vitam syndicatus unicus in Italia exspiravit, cum membra tendentiae non-communisticae spiritum totalitarium Communistarum supportare non potuerint. Experimento syndicatus unici etiam favebat, quod illis temporibus aliqua Associatio Catholicorum Communistarum in Italia exstitit quae secundum mentem Caroli Marx defendebat operarios ut tales *necessario* unicam « classem » constituere ita, ut omnes aliae differentiae sive religiosae sive professionales et sociales pro operariis uniendis praetermittendae essent. Proh dolor hic error etiam catholicos eminentiores in re operaria affecit, qui pro sua exigua formatione doctrinali non perspexerunt se thesim Marxismi de structura societatis sibi propriam facere. Tandem aliquando autoritas ecclesiastica librum principalem Communistarum Catholicorum in Indice ponere debuit.

Haec de causis propter quas Summus Pontifex syndicatu unico adhuc exsistente in supramemorata Allocutione de natura et scopo syndicatus verba fecit. Primo dein ex modo, quo Papa de syndicatu illo unico in Italia loquitur, elucet Summum Magistrum et Pastorem esse minime paratum, approbationem positivam exprimere. Immo inculcat et insinuat rem esse pro Italia plene novam, cum traditione syndicali italiana non conformem, et solum ut factum completum notandam. Inde est, quod exclusive de futura evolutione

syndicatus unici loquitur, quam non sine praeoccupatione exspectat. Mox dissolutio et scissio syndicatus unici claram praevisionem Summi Pontificis confirmaverunt.

Secundo dein Pius XII, loquendo de futura evolutione syndicatus unici in Italia, nobis possibile reddit quaedam puncta doctrinae Pontificiae de natura syndicatus operariorum ut talis colligere. Syndicatus est unio, quam formant operarii, ut « propriis viribus se juvent et rem suam defendant ». Hisce verbis Pius XII. eandem doctrinam Leonis XIII. in « Rerum Novarum » (1891) et Pii XI. in « Quadragesimo anno » (1931) confirmat. Solum adversarii verae naturae syndicalis sunt alii pro aliis temporibus. Leo XIII. jus operariorum se ipsos syndicaliter adjuvandi et defendendi nomine Ecclesiae sollemniter nuncupavit. Fuerunt enim etiam inter Catholicos, qui spiritu Liberalismi proh dolor apud dominos mediorum productionis praevalente seducti tale jus se associandi (jus coalitionis) operariis a dominio mediorum productionis separatis denegarunt. Insuper erant, qui pristino Patriarchalismo et Feudalismo imbuti salaria insufficientia ex sicdicto mechanismo mercatus resultantia per praestationes complere voluerunt, quas Christiana caritas et beneficientia daret. Leo XIII. vero firmiter tenuit operarios fundantes syndicatum uti inalinenabili jure personali, nenpe jure coalitionis, et versantes circa salarium justum defendere suum bonum *juris* praecedens quibuscumque bonis caritativis a debitoribus praestitis.

Adversarii verae naturae syndicatus, quos

Pius XI. prae oculis habuit, sunt saltem partim alii. In « Quadragesimo anno » prudentissime quidem, sed luculenter constructionem syndicalem in Fascismo carpit (nr. 91-95). Concludit: « ... fateri cogimur compertum Nos habere non deesse qui vereantur ne res publica, cui satis esse deberet ut necessarium et sufficiens auxilium praestaret, liberae activitati se substituat, neve syndicalis ille et corporativus ordo complexam administrationem et politicam nimis sapiat, neve (generalioribus illis commodis ultro equidem admissis) particularibus politicis scopis potius inserviat quam ad meliorem socialem ordinem instaurandum promovendumque conducat ». Inde deducimus Summum Pontificem constrictum fuisse periculum pro vera natura syndicatus indicare quod ex ideis Corporativismi immature aut falso applicatis facile surgere possit immo iam surrexerit. Si syndicatus operariorum fit institutio Societatis Civilis (Status) sive directe sive indirecte, non iam habemus genuinam naturam syndicalem modo expositam. Si insuper syndicatus ut institutio publica certo monopolio gaudet, tale privilegium libertatem erigendi syndicatus et intrandi aut non intrandi in operariis tollit. In omnibus his casibus vera natura syndicatus offenditur sub praetextu forsan alicuius Corporativismi cum idea « Ordinis Professionalis » in « Quadragesimo anno » nequaquam componibilis.

Certe nos quoque non affirmamus syndicatum operariorum sensu vero et proprio intellectum pertinere ad formas indispensabiles convictus humani; est enim forma organisationis, quae labo-

rem dependentem moderna oeconomia capitalistice acta proprium supponit, sc. operarium pro sua exsistentia oeconomica unice ad libertatem juridicam contrahendi de opera reductum. Nec negamus in vero Ordine Professionali, quem « Quadragesimo anno » quibusdam conditionibus realibus et moralibus datis laudat, laborem humanum in societate et sociologice et jurnidice aliter organisatum fore ac sub primario respectu partium in sicdicto mercatu laboris. At quamdiu dynamismus expansivus oeconomiae capitalistice actae habetur et influxus praeeminens et fere exclusivus mercatus in conditionem sociologicam et oeconomicam laboris dependentis perdurat, etiam syndicatus operariorum secundum suam veram naturam locum habeat necesse est. Aliis verbis: ubi tamen syndicatus ut institutio directe aut indirecte Statalis erigitur aut ubi Corporativismus immature vel falso modo, nempe ut organum Status, introducitur, operariis ipsorumque juri personali coalitionis violentia fit, cum usus talis juris solum ob rationem veri boni communis, sc. propter coordinationem cum juribus personalibus aliarum personarum, physicarum et moralium, restringi possit.

Alios adversarios verae naturae syndicalis Pius XII. attendit. Jam Pius XI. in « Quadragesimo anno » agens de « syndicatibus mixtis » fundamentum syndicale in normis indispensabilibus juris naturalis situm esse docuit. Unde Catholici cum Acatholicis syndicatum formare nequeunt, nisi saltem implicite de isto fundamento constat. Pius XII. idem in occasione supramemorati syndicatus unici in Italia confirmat. In primo enim

Congressu Nationali Neapoli habito illi, qui syndicatum dirigebant, quamdam programmaticam divisionem contributionis enuntiaverant, quam pars Catholica, quam pars non-catholica, plerumque communistica ad laborem syndicatus unici apportare deberet. Parti Catholicae reservabatur, « insufflare spiritualitatem Evangelii », alii vero parti, formare socialem realitatem. Summus Magister et Pastor huius programmaticae enuntiationis recordatus in sua Allocutione quaerit, in quo practice ille « Spiritus Evangelii » ut basis activitatis syndicalis consistat. Respondet: nisi verbis vanis utuntur, volunt spiritualitate Evangelii efficere, ut in activitate syndicali normae justitiae in ordine mundi divinitus volito superent puram vim mechanicam organisationis, amor et caritas superent odium classis. Iterum ergo Pius XII. doctrinam Pii XI. implicite confirmat fundamentum « syndicatuum mixtorum » esse saltem ordinem juris naturalis. Unde sicdicta « neutralitas », quam in aliquibus nationibus motui syndicali operariorum attribuunt, nequaquam indifferentismum in activitate syndicatus versus principia fundamentalia convictus humani significare potest; secus adhaerentia Catholicorum excludenda esset. Insuper notum est Ecclesiam postulare ut, ubicumque verum bonum ordinis socialis secundum circumstantias « syndicatum mixtum » requirat aut saltem suadeat, praeter syndicatum, in quantum fieri possit, associationes catholicae operariorum pro formatione religiosa et intellectuali, imprimis in doctrina sociali Ecclesiae, exsistant, speciatim etiam ad co-

lendos homines aptos, qui in « syndicatu mixto » pro functionibus dirigentium eligi possint.

Praeter periculum absentiae veri fundamenti moralis in syndicatu Pius XII. aliud periculum adnotat. Secundum Pontificem vera natura syndicatus etiam periclitatur, si in syndicatibus actuales evolutiones ad quamdam speciem dominatus syndicalis super singulos operarios, sive extra, sive intra syndicatum exsistentes, ducerent. Hoc modo operarii, qui in syndicatu organisati dominatum proprietariorum attenuare tendunt, in dominatum propriae organisationis inciderent. Papa in primo loco cogitat de charactere et functione syndicatus in systemate sowjetico. At aliae quoque res, quas syndicatus proprie in bonum operariorum suscipere videntur, similem effectum habere possunt vel iam habent. Introducitur e. g. proprietas collectiva operariorum sive quoad stabilimenta, ubi laborant, sive quoad alios titulos financiarios ita, ut syndicatus functionem fideijussoris, immo dominii « alti » exerceat. Generatim hoc conducit ad nimiam dependentiam singulorum a syndicatu in detrimentum ipsorum libertatis et ad dominatum apparatus syndicalis. Aliis verbis: loco genuinae democratiae, in quantum in sinu syndicatus omnia membra sunt sensu proprio « socii », oligarchia functionariorum et officialium habetur. De reliquo vera natura syndicatus etiam detrimentum patitur, si syndicatus functionem patronorum in singulis locis productionis susciperet. Alias deviationes activitatis syndicalis in nocumentum libertatis singulorum operariorum Papa carpsit, cum d. d. 5. VI. 1950 syndicatum a sidicto jure oeco-

nomicae co-gestionis operariorum in officinis excluderet. Similiter in Allocutione Natalitia anno 1952 ad pericula in praxi syndicali allusit, quae monita partim confirmantur in aliquo articulo Periodici « Social Order » (St. Louis, Jan. 1955) de rebus internis syndicatuum Statunitensium. Similes querelae operariorum iam in Germania Occidentali quamdam distantiam et aversionem operariorum a syndicatu unico creaverunt.

Postquam de vera natura syndicatus secundum doctrinem Pontificiam egimus, de scopo syndicatus agere intendimus. Pius XII. in iam laudata Allocutione anni 1945 hunc scopum clare circumscripsit et monuit syndicatum unicum Italiae adhuc existentem, ne suos limites transcenderet. Hic scopus est: repraesentare et defendere operarios in contractibus operae, sive ineundis, sive iam initis, sive renovandis. Patet talem scopum non includere tantum conventionem de salario, sed etiam de aliis circumstantiis laboris (e. g. duratio, vacantia, cura hygienica, modus admissionis et dimissionis operarii). In ordinandis his rebus patroni et operarii facile practice differunt, praesertim in quaestione salarii justi. Iam Pius XI. in « Quadragesimo anno » adhortatus est neutram partem antagonismum quasi ingenitum in relatione « laboris » et « capitalis » supponere debere. Nam hoc sociologiam materialisticam et mechanisticam Marxismi et ipsius « pugnam classium » saperet. Nam solevere et accipere salarium justum, non solum dicit bonum aprticulare operarii, sed dicit etiam bonum alterius partis ut personae honestae in contractu operae, immo dicit bonum justitiae univer-

salis ordinis in societate. Si ergo syndicatus ob veram rationem salarii justi augmentum actualis salarii postulat et defendit, materialiter quidem contra patronum actionem ponit, quae ipsius lucrum purum diminuere potest, formaliter vero dynamismo justitiae socialis in societate servit, qui in contractibus operae secundum justitiam commutativam corrigendis se vivum exhibet. Unde est, quod Pius XI. in « Quadragesimo anno » recte de « disceptatione classium » loquitur supponendo utramque partem contractus operae organisatam. Cum vero objectum formale disceptationis classium totaliter aliudquid sit ac in « pugna classium » Marxismi, nempe recte adaptare relationes justitiae commutativae in sensu modo exposito, scopus syndicalis eminenter bonus est, quia et quamdiu cum alia parte contractus operae idem objectivum fundamentum justitiae participat.

Patroni data sufficienti disponibilitate quoad « capitale » in Oeconomia Nationali et data sufficienti capacitate technica detrimentum, quod ex actione syndicali per aucta salaria passi sunt, compensare valent. Possunt enim meliorisatione processus producendi technica et organisativa productivitatem Oeconomiae Nationalis elevare. Unde pressio circa salaria ex parte syndicatus in patronos exercita novum scopum activitatis syndicalis relevat. Syndicatus jungens vivam attentionem circa salaria cum prudenti moderatione potest contribuere, ut per organicam cooperationem trium factorum productionis, nempe laboris, capitalis et mediorum naturae, Oeconomia Nationalis suam objectivam finalitatem, i. e. possibilem reddere ma-

terialem prosperitatem ut fundamentum indispensabile vitae vere humanae omnium, continuo prosequatur, modo simul stabili et dynamico sicuti sanum incrementum demographicum requirit. Merito ergo Pius XII. d. d. 7. V. 49 pacificam cooperationem inter organisationes patronorum et operariorum (syndicatuum) postulavit, loquens de communni et pari responsabilitate utriusque partis versus finem objectivum Oeconomiae Nationalis, immo loquens de « communi mensa », cui patroni et operarii sub respectu Oeconomiae Nationalis assederent.

Huic communi responsabilitati syndicatus respondet, si inter media activitatis suae contractus collectivos ineundos imprimis habet. Abstrahendo a spe fundata tales contractus ducturos esse omnibus aliis conditionibus realibus et moralibus impletis ad quemdam ordinem professionalem in Oeconomia Nationali, patet negotium talium contractuum ineundorum non procedere posse, nisi omnibus partibus situatio actualis et futura productionis nationalis prae oculis sit, praesertim habito respectu quaestionis investitionum indeque sanae proportionis inter ratam « capitalis » et ratam « laboris » in distribuendo producto totali Oeconomiae Nationalis. Primo medio contractuum collectivorum accedit aliud medium activitatis syndicalis, nempe continua consultatio cum repraesentantibus patronorum. Tertium medium, sane extraordinarium, est operistitium, cuius liceitas moralis sub notis conditionibus a Moralistis conceditur.

Etiam de relatione inter syndicatum et « po-

liticam » Summus Pontifex in sua Allocutione anno 1945 locutus est. Sentitum est enim iam tunctemporis periculum, ne Communistae dirigentes syndicatum unicum Italiae ista institutione non pro bono operariorum in campo laboris uterentur, sed in favorem finium politicorum partitionis politicae Communisticae. Contra tales tendentias Papa tenet syndicatum exercere quidem influxum in « politicam » et in publicam opinionem, sed solum propter scopum suum modo expositum et intra limites talis scopi. Monitum Summi Magistri et Pastoris etiam alibi non est abs re. Ubicumque syndicatus operariorum scopi sui essentianlis oblitus quaestiones mere politicas, vitae parlamentaricae et gubernio reservatas, ut rem principalem prosequitur, immo indolem partitionis politicae induere tendit, immo loco organorum politicorum agere aspirat, rem syndicalem prodit et seipsum pervertit. Similiter, si syndicatus alios scopos sibi proprios faceret, qui aut nequaquam aut solum indirecte cum suo essentiali scopo cohaerent, falsumquid ageret. Cogitamus de scopis colendae altioris culturae, curae habendae de tempore libero operariorum, curae de theatro et cinema, etc. In hoc casu quidam infaustus totalitarismus syndicalis immineret, periculosus pro libertate singulorum et pro libera evolutione formarum variarum vitae socialis, etiam pro multiformi activitate apostolatus catholici. Aliis verbis : substitueretur pro sana pluralitate unionum in vita sociali circa diversissimos scopos aliquis unitarismus centralisticus.

Finimus brevissimis constatationibus quae

spectata genuina natura et finalitate syndicatus relationem suam ad Ecclesiam delineent. Primo: numquam syndicatus ad Actionem Catholicam pertinere potest, quia et quatenus illa immediatam directionem per hierarchiam ecclesiasticam supponit. Hoc vero contradiceret verae naturae syndicatus, quam doctrina Pontificia sustinet. Secundo: stabilito scopo directe profano syndicatus versus ordinem socialem in mundo laboris, syndicatus nequaquam associationinbus « Apostolatus Laici » adnumerari potest, quippequae fidem et mores hominis catholici spectata diversitate ramorum convictus humani propagare immediate intendunt. Tertio: quia omnis activitas humana legi Divinae, sive positivae sive naturali, subest, *sub hoc respectu* activitas syndicalis etiam judicio autoritatis doctrinalis et pastoralis Ecclesiae divinitus institutae subest. Positive autem Ecclesia non potest non aestimare syndicatum ut talem, cum haec associatio sub conditionibus nostrorum temporum necessarios scopos in vita sociali humana prosequatur. Unde nunquam defuerunt etiam sacerdotes qui laudabiliter deficientibus aliis fidelibus laicis ad ortum et sanam evolutionem syndicatus contribuerunt.

Nota. Hac occasione uti velim lectores brevissime remittere ad alium meum articulum de doctrina Pontificia in re sociali, nempe in *hac* Periodica, tom. XLIII (1954) pp. 25ss. « De jure con-gestionis salariatorum ». In Periodica italiana « La Scuola Cattolica » (anno 1955, nr. 1) RD Guzzetti, Prof. Pontificiae Facultatis Theologicae Milanensis, in aliquo conspectu litterario de publicationibus socialibus scribit (pag. 72) se non clare vi-

dere, num in meo articulo ex jure naturali sit exclusa con-gestio, etsi quaesita et in actum deducta mediis licitis. Incl. Moralistae respondeo ex mea systematica expositione clare constare excludi jus con-gestionis salariatorum *totalis*, et quidem jure naturali et absolute. Totalis con-gestio est illa secundum terminologiam mei articuli, ubi con-gestio est indolis decisivae etiam in rebus oeconomicis officinae singularis. Absolute exluditur, quod infert nec exigentias boni communis justificare potestatem publicam introducentem tale jus. Quae — spectata doctrina Pontificia — pag. 27 mei articuli sentio de intima ratione facultatis gestionis directe vel indirecte vi juris proprietatis habitae necnon quae sentio de medio a salariatis in omni concreta situatione applicabili, ubi cum decisione gestientis dissentiunt, indicant limites, intra quos legislator vel ratio boni communis in hac materia se habent. De reliquo repeto, quod in meo articulo fusius exposui, nempe « doctrinam Summi Pontificis Pii XII. tantum abesse a refutenda generali idea con-gestionis ut illam saepius explicite et implicite recommandaverit ».

Gustavus Gundlach S. J.

DE AUCTORITATE ORDINARIORUM LOCORUM IN MISSA PAROECIALI PROPAGANDA

Cum in haud paucis provinciis unio fidelium cum propria paroecia, et speciatim eorum frequentatio missae dominicalis et festivae in ipsa ecclesia paroeciali magis aestimetur ac intensius propagetur, non semper et ubique periculum evitari videtur, ne limites, a iure codicis hac in re auctoritati et iurisdictioni praesulum positi, aliquatenus oblivioni dentur. Quare supervacaneum non videtur, breviter exponere quaenam iure particulari et auctoritate Ordinariorum locorum circa hanc materiam stabiliri possint, quaenam non, et quidem primo relate ad fideles, deinde relate ad rectores ecclesiarum non paroecialium et oratoriorum.

I. De auctoritate Ordinarii relate ad fideles.

1. *Missa de praecepto pars « iuris parochialis »*.

Per integrum medium aevum fideles multo strictius quam hodie obligabantur ecclesiae paroeciali. Inter iura et obligationes solis parochianis proprias erat ius et obligatio assistendi diebus dominicis et festis missae paroeciali, quod iam ab ineunte sexto saeculo clare in fontibus attestatum invenimus. In traditione canonica, praeter cano-

nem Concilii Agathensis ann. 506 (= c. 35 *Si quis extra, De consacr.* dist. 1) ubi iuxta glossam « *Statuitur ... ut si qui remoti sunt nimis ab ecclesia paroeciali, propter laborem suum et familiae suae audiant missam in minoribus festivitatibus in oratoriis suis; sed in praecipuis festivitatibus missam audiant in suis parochialibus ecclesiis* », maximi momenti sunt decreta concilii Nannetensis, ineunte saeculo 9° celebrato [1], cuius can. 2: « *Ut nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit vel placitum ibi habuerit, ad missam recipiat* » [2], in pluribus fontibus contemporaneis et posterioribus recipitur [3]; et can. 1: « *Ut dominicis et festis diebus presbyteri, antequam missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochia-*

---

[1] HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des conciles,* tom. 3 pars 2 p. 1247: addenda ad p. 296.

[2] HARDUINUS, *Concilia,* tom. 6 pars 1 col. 457. - *Capitula ecclesiastica* Caroli Magni (810-813?) n. 8: MGH Capit. I, 178; *Capitula excerpta de canone* (806 vel post?) num. 21: « Ut festivitates praeclaras nonnisi in civitates (= ecclesiis cathedralibus) aut in vicos publicos (= ecclesiis paroecialibus) teneantur »: ibid. 133; *Capitulare papiense* Caroli IIi ann. 876 c. 7: « ... ut seculares et fideles laici diebus festis, qui in civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant; et qui in villulis et possessionibus sunt, ad publicum officium in plebe festinent »: ibid II, 102. (De plebe in cap. 11 dicitur: « Et ut ecclesias baptismales quas plebes appellant ... »); *Capitulare* Theodulfi episcopi Aurelianensis ann. 797 cap. 14: « Nullus presbyter fidelibus sanctae Dei ecclesiae de alterius presbyteri parochia persuadeat ut ad suam ecclesiam concurrant, relicta propria ecclesia, et suas decimas sibi dent ... »: Mansi, tom. 13 col. 998.

[3] *Commonitorium cuiusque episcopi,* num. 26: PL 96, 1377; *capitulare* Rodolfi Bituricensis episcopi († 868) cap. 15: PL 119, 711; REGINO PRUMENSIS, *Libri duo de synodalibus causis,* lib. 2 cap. 255: PL 132, 239; BURCHARDUS, *Decretum,* lib. 2 cap. 91: PL 140, 642; ut palea in *Decreto* Gratiani, can. 5 Ca. 9 quaest. 2.

nus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero, ibi missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab ecclesia eiiciant, et ad suam parochiam redire compellant »[4], receptus deinceps in praecipuis collectionibus canonicis, ut Reginonis Prumensis: *Libri duo de synodalibus causis* (circ. ann. 906)[5], Burchardi Wormatiensis († 1025): *Liber decretorum*[6], Ivonis Carnutensis: *Decretum* (circ. ann. 1094)[7], ut palea in Decreto Gratiani (circ. 1140) insertus[8], tandem anno 1234 apparet in ipsa collectione decretalium Gregorii pp. IX: can. 2 *Ut dominicis* X. lib. 3 tit. 29 *De parochis et alienis parochianis.*

Vinculum hoc arctissimum parochianos parocho et ecclesiae parochiali propriae obligans inde ab origine non nititur tantum rationibus ordinatae curae animarum, sed insimul exigentiis strictae iustitiae, qua parochus solis suis parochianis ministeria, parochiani solo suo parocho decimas debent atque oblationes occasione missae festivae dandas.

Decretalistae saeculi 13i inter ea, quae *ius parochiale* constituunt, sine ulla restrictione recensent ius ut parochiani suis in ecclesiis missae festivae adsint, excusatio vero non admittitur nisi tantum in casu verae necessitatis. Nec quaeritur utrum cogi possint fideles ad missam paroecialem adeundam, quod per se patet, sed utrum coactio

---

[4] HARDUINUS, *Concilia*, tom. 6 pars 1 col. 457.

[5] PL 132, 203 s.

[6] Lib. 2 cap. 92: PL 140, 642.

[7] Pars 2 cap. 122: PL 161, 194.

[8] Can. 4 Ca. 9 quaest. 2.

adhiberi possit ad oblationes ea occasione praestandas [9]. Et hac de causa, quia scilicet oblationes debentur tantum diebus dominicis et festivis, aliis diebus parochiani videntur missam audire posse ubi voluerint [10]. Stricta obligatio fidelium, quae ces-

---

[9] INNOCENTIUS, pp. IV († 1245), *In quinque decretalium libros commentaria,* in rubricam tit. cit.: « Ius parochiale consistit, ut in diebus festivis parochiani missam audient in suis ecclesiis, infra eo. *ut dominicis, de consecr.* dist. I *si quis* (can. 35), et in decimis personalibus ... et in oblationibus ... Et videtur quibusdam, et forte non male, quod ad oblationes cogi possint parochiani, maxime si sacerdos est pauper ... »; et ad can. 2: « *Ut dominicis. Contempto*: ... si autem non contemneret, sed ex iusta causa ad aliam parochiam transiret, vel in transitu peregrinationis, non expelleretur ... » Venetiis 1570, fol. 245v.

[10] HOSTIENSIS († 1271), *Summa aurea* i. h. t.: « *In quibus consistit ius parochiale.* (Variis enumeratis, pergit:) In oblationibus: unde parochiani singulis diebus dominicis et festivis debent ad propriam ecclesiam convenire, ut infra eo. *dominicis;* hae autem sunt festivitates Pascha, Natalis Domini, Epiphania, Ascensio, Pentecostes, Nativitas sancti Joan. Bap. et aliae forte de quibus habes supra *de feriis* ca. fina. et si quis dies maximis in festivitatibus habetur. Aliis vero diebus videtur quod possint missam ex causa adire ubi voluerint, ut a contrario sensu infra eo. *ut dominicis* ». Distinctis tribus speciebus oblationum, quarum « tertia est quotidiana et usualis quam faciunt fideles ad altare vel manum sacerdotis, et haec presbytero parochiali solvenda est ... », ita statuit: « In tertia vero specie quae scilicet quotidie fit ad missam in ecclesia dixit Hugo, quod quilibet cogi potest per excommunicationem ... Alii contra ... inter quos et Raymundus. Tu dicas quod in praecipuis festivitatibus tenetur quis offerre et cogi potest, maxime cum sit quasi generalis consuetudo haec ubique terrarum ». « Et hoc dicit cap. *omnis christianus*: *procurat ad missarum solemnia aliquid Deo offerre* ... Notandum enim quod dicit *missarum solemnia,* q. d. de solennibus festivitatibus locorum in quibus tenetur quis totam missam audire sicut diebus dominicis ... Et tunc tenetur offerre aliquid corporale ... In aliis autem diebus non tenetur quis nisi ad oblationes a mortuis relictas ...». « Ideo statutum est quod illis diebus non recipiat aliquis sacerdos parochia-

sat tantum si gravis ratio habetur vel consensus parochi, arcte coniuncta cum obligatione offerendi, adeo ut sacerdos recipiens alienum parochianum iniuriam proprio parocho inferat, eodem modo usque ad medium saeculum 13um existere pergit[11].

2. *Missa de praecepto a jure parochiali solvitur.*

Iam prima medietate saeculi 14i hoc ius strictum mutari incepisse apparet. Praeterquam quod obligatio assistendi missis festivis in ecclesia paroeciali magis solvitur ab obligatione ibidem oblationes faciendi — parochiani enim, ita Nicolaus de Tudeschis († 1445 aut 1453), iam non tenentur sponte facere oblationes presbytero parochiali, nisi sit consuetudo et nisi indigeat, quo casu possunt compelli ab episcopo, non autem quod pres-

---

num extraneum, ne scilicet parochia propria gravetur ...» Lugduni 1568, fol. 249r s.

[11] JOANNES ANDREAE († 1348), *In tertium decretalium librum Novella commentaria* i. h. t. num. 3: « Dicebat hic super rubrica Innocentius et Hostiensis post eum, quod ius parochiale consistit in multis: primo in hoc, quod parochiani in diebus festivis in ecclesia sua, et non alibi missam audiant ... ». Venetiis 1581, fol. 132r. Ad can. 2: « *Ut dominicis* ... *Festivis*: de his habetur *de con.* di. 3 c. 1, *de fer.* c. fi.; et argue, quamlibet teneri in diebus dominicis et festivis missam audire in propria ecclesia. Item offerre: *de co.* d. 1 *omnis christianus.* In diebus privatis potest, ubi vult, missam audire, nec tenetur offerre ... *Alterius*: .. alterius ergo parochianum recipiens ad divina, vel ad confessionem, vel ad iudicium, vel ad sepulturam, vel ab illo recipiens decimam, furtum quodammodo et rapinam committit ... *Contempto*: praesumitur contemptus, nisi parochianus licentiam habeat vel iustam causam ostendat, et hoc saltem ubi parochialis ecclesia est vicina ... ». Ibid. fol. 132v s.

byter possit cessare ab administratione divinorum[12] — usus fidelium adeundi etiam diebus festivis ecclesias fratrum mendicantium iam ita invaluit, ut idem Nicolaus, modo hucusque prorsus inusitato verba canonis interpretando, e iure parochiali nondum quidem ius missae festivae formaliter eximat, illud tamen reducat ad obligationem gravem fidelium non contemnere proprium parochum; si talis contempus deest, non ita est gravis ratio requisita ut quis legitime aliam ac paroecialem ecclesiam adeat, nisi in praecipuis festivitatibus[13]. Antiquo praecepto assistendi diebus

---

12 *Abbatis Panormitani commentaria in tertium decretalium librum* i. h. t. *Summae* 5. Venetiis 1578, fol. 177v.

13 Ibid. ad can. 2: « *Ut dominicis*: Parochiani quo casu sub praecepto peccati mortalis debent audire missam in propria ecclesia. Presbyteri parochiales dominicis diebus et festivis parochianos alienos ad missam admittere non debent, si ex contemptu ad eorum ecclesiam accedunt. Nota primum argumentum secundum Joannem Andreae quod in diebus dominicis et festivis tenetur parochianus audire missam in propria parochia et ibidem oblationem facere: hic tamen nihil dicitur de oblatione: sed intellige, prout dixi supra super rubrica. Et ex hoc et ex textu infertur, quod diebus privatis potest quis audire missam in aliena parochia: c. *si quis extra, de consec.* dist. 1. Sed ego quaero, numquid indistincte parochianus peccet non audiendo missam diebus festivis in sua parochia, de quo fui saepe interrogatus. Solutio: aut hoc facit ex contemptu proprii presbyteri sine causa legitima, et peccat, quia venit contra praeceptum superioris et iuris ... Et ipse sacerdos qui admittit parochianum alienum supradicto casu, committit quodammodo furtum vel rapinam ... Et puto, quod tenetur restituere omnes oblationes perceptas ab eo ... Aut deserit proprium presbyterum sine contemptu, et tunc non peccat: pro quo iste textus qui ponderat contemptum. Sed dicunt hic doctores quod praesumitur contemptus, si non habet licentiam a proprio sacerdote vel non habet causam legitimam, saltem quando propria ecclesia est vicina. Sed hodie videmus communiter popolum confluere ad ecclesias fratrum mendicantium, derelicto proprio pres-

festivis missae paroeciali substitui incipiunt dua praecepta distincta, alterum auditionem missae festivae, alterum frequentationem ecclesiae paroecialis respiciens. Nicolaus iam separatim tractat obligationem missae festivae audiendae [14]. S. Antoninus O. P., episcopus Florentinus († 1459) receptae Panormitani doctrinae de contemptu parochi, adiunxit explicite argumentum, legi communi in plerisque saltem locis iam derogatum esse consuetudine praescripta et rationabili. Episcopus, etsi nec licite nec iuste, tamen valide ad missam paroecialem audiendam fideles obligare et cogere posset [15]. Ineunte saeculo 16° Sylvester Prierias

---

bytero. Et credo, quod si faciant bono zelo, non peccant, ut puta quia devotius et frequentius ibi celebratur. Item quia audiunt ibi praedicationem, et immediate ante vel post audiunt missam: non autem in hoc potest notari contemptus ». « Honestum est tamen, et quasi necessarium, ut in praecipuis festivitatibus, ut in Paschate, Nativitate, et in similibus, audiantur divina in propria parochia. Item quod ex levi causa non debent deseri propriae parochiae illis diebus, vide bonum textum in d. c. *si quis extra* ». Ibid. fol. 178v.

[14] Ibid. in fine, fol. 179.

[15] *Summa theologica*, pars 2 tit. 9 cap. 10 par. 1: « Tertium dubium est, utrum teneatur quis audire missam diebus festivis a proprio sacerdote parochiali, seu in propria parochia. Et videtur quod sic, quia decretalis *extra De paroch.* cap. 2 dicit: ... Ad quod dici potest dupliciter. Uno modo, quod Ecclesia intendat per hanc constitutionem removere contemptum, id est rebellionem et despectum subditorum erga praelatos suos, qui sunt sacerdotes parochiales: et sic mandat, quod qui ex contemptu sui sacerdotis accedit ad audiendum divina in alia ecclesia quam propria, expellatur de alia ecclesia, ut de contemptu resipiscat. Ad hoc facit, quod dicit Innocentius pater iuris super dictum capitulum, videlicet quod parochianus, si non faciat hoc ex contemptu, sed ob aliam iustam causam, non est eiiciendus de ecclesia, ergo non peccat. Satis iusta causa est, si ob maiorem sui devotionem hoc facit.

O. P. († 1523) ne hoc ius quidem episcopis relinquit, plenam libertatem etiam canonicam agnoscendo fidelibus in ecclesiis eligendis [16].

Alio modo potest dici, quod si contemptus sumatur large, scilicet solum pro eo, qui non audit missam eius et officium, non tamen contemnendo sacramenta, vel ipsum, tunc, quia consuetudo, quae in hoc videtur praescripta et rationalibis, quum scilicet ob maiorem devotionem fit, tollat legem ..., ubi est consuetudo audiendi indifferenter in quibuscumque locis, quae quasi ubique est, non peccat, qui audit missam extra propriam parochiam. Si tamen dioecesanus hoc praeciperet, scilicet audire in propria parochia, obediendum esset, arg. 11 quaest. 3 *Quid ergo* et can. *Sententia.* Male tamen faciunt episcopi in tollendo pias consuetudines cum scandalo populorum ... ». Veronae 1740, tom. 2 col. 1001.

16 *Summa summarum* verbo *Missa* 2 quaest. 5: « Quinto quaeritur, ubi missa sit audienda, in parochia scilicet propria, vel alibi? Et dico duo. Primum. Qui contempto proprio sacerdote missam audit in aliena parochia in diebus festis, expelli debet, et remitti ad ecclesiam suam: *de paroch.* c. 2. Quod secundum Panormitanum et Innocentium ibi est verum, si hoc facit ex contemptu: quia facit contra praeceptum superioris, et qui eum admittit, furtum quodammodo committit. Sed si hoc facit ex causa rationabili, non est eiiciendus: puta, quia proprius sacerdos est notorius fornicator, vel praecisus ab Ecclesia. Et idem, secundum Archiepiscopum, si hoc facit ob maiorem sui devotionem: puta, quia alibi devotiones videntur celebrantes: aut cum missa reportat sermonem vel huiusmodi: imo idem est quacumque causa iste hoc faciat, puta propter maiorem commoditatem aut delectationem non illicitam: quia iam est rationabilis, et praescripta circa hoc consuetudo, quae d. c. 2 abrogavit, dato, quod praeceptum contineret contra laicos, ne alibi quam in sua parochia missam audirent, quod multi negant. Quidam tamen, ut summa Angelica hoc limitant, modo declinans propriam parochiam non audiat missam in proprio oratorio, sed in publico facto a populo, secundum glossam in c. *si quis de conse.* dist. 1, vel a fortiori in ecclesiis mendicantium aedificatis authoritate summi pontificis. Sed ego dico, quod ubicumque audiatur, etiam in domo privata, est satisfactum praecepto, ratione consuetudinis scitae, et tolleratae, et rationabilis praescriptae: licet male faciat audiens in domo sine rationabili causa. Secundum. Et si episcopus prohibeat audire missam in ecclesiis mendicantium diebus festis, dicit Archiepiscopus obe-

Dum ipsa S. Sedes, etiam in altera medietate saeculi 15i, urgere pergerat antiquum ius commune — constitutio Sixti pp. IVi, d. 17 junii ann. 1478 edita, recepta in extravangantibus communibus can. 2 *Vices illius* lib. 1 tit. 9 *De tregua et pace,* inter alia iubens: « *Quodque fratres mendicantes non praedicent, populos parochianos non teneri audire missam in eorum parochiis diebus festivis et dominicis, quum iure sit cautum, illis diebus parochianos teneri audire missam in eorum parochiali ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa ecclesia se absentarent* », innuere videtur, summum pontificem, saltem in partibus Germaniae, ad quas spectat eius constitutio, consuetudinem praescriptam contra legem communem non agnoscere — iam Leo pp. X litteris apostolicis *Intelleximus,* d. 13 novembris ann. 1517, declarat audientiam missae festivae in ecclesiis mendicantium praecepto Ecclesiae sufficere ac omni gravi culpa vacare, dummodo absit contemptus parochi proprii, quin amplius sermo sit de necessitate ali-

---

diendum esse, arg. 11 q. 3 *Quid ergo* et c. *Sententia,* licet male faceret tollendo pias consuetudines cum scandalo populorum... Sed tamen ego dico, quod hoc casu obedire non est necessarium, nec ille hoc potest iubere: quia iusta consuetudo audiendi ibi authoritatem habet a superiore episcoporum, id est a romano pontifice, qui mendicantes instituit ad supplendum defectum episcoporum, qui iam non praedicant, nec praedicatores sustentant: et sic est tamquam lex eiusdem. Et praeterea sicut episcopus non potest arctare ius commune, ita nec consuetudinem generalem totius orbis... Et si hoc sub excommunicationis poena praeciperet: dico, quod sententia esset iniusta, ut patet ex dictis; et etiam nulla: quia sicut attentatum contra ius est ipso iure nullum... ita et attentatum contra generalem consuetudinem totius orbis... Venetiis, 1581 tom. 2 fol. 182v s.

cuius rationis specialis; neque de aliis ecclesiis et oratoriis quidquam decernitur [17].

3. *Legislatio tridentina et controversia theologorum.*

Legislatio reformatoria tridentina, ab una parte favens restaurationi vitae parochialis, ab altera autem parte non intendens mutare iura acquisita regularium et fidelium, incertitudinem iuris non abstulit, ansamque dedit interpretationibus omnino contrariis; Concilium enim, dum in sess. 22 *Decreto de observandis et evitendis in celebratione missae* sic statuit: « *Moneant* (sc. locorum Ordinarii) *etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis accedant* » [18], quae verba potius convenientiam quam strictam obligationem parochianorum innuunt, in sess. 24 cap. 4 *De reformatione* haec habentur: « *Moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque paro-*

---

[17] « Intelleximus quosdam in dubium revocare, et perinde timoratis conscientiis scrupulum iniicere, si christifideles, qui dominicis, et festis diebus extra ecclesias suas parochiales, missam audiunt in ecclesiis fratrum ord. mendicantium, Ecclesiae praecepto de missa audiendo satisfaciant. § 1. Nos enim ambiguitatem huiusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo creatori suo serviant, auctoritate apost. tenore praesentium notum facimus, omnes christifideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio sacerdote parochiali) in ecclesiis fratrum ordinum mendicantium, dominicis, et festis diebus missam audiunt, satisfacere praecepto Ecclesiae de missa audienda, nec in aliquem labem mortalis peccati poenamve incurrere ». Gasparri, *Fontes*, I p. 127 num. 73.

[18] *Canones et decreta Concilii Tridentini*, ed. Richter, p. 128..

chiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei »[19], quae verba potius debitum obligationemque parochianorum sonant ibi audiendi conciones, ac proinde etiam missam dominicalem et festivam, inter quam praesertim conciones haberi solebant et oportebant iuxta ipsum Tridentinum[20].

Inter doctores qui scripserunt post Concilium sat acris controversia vigebat de interpretatione decretorum, neque una est sententia quomodo haec componi possent cum variis elementis iuridicis iam antea existentibus, praeceptis scilicet iuris communis in Corpore Iuris Canonici contentis, privilegiis regularibus concessis, consuetudinibus contrariis in magna saltem parte Ecclesiae vigentibus.

Clare haec difficultas apparet in doctrina, quam proponit Augustinus Barbosa, Lusitanus († 1649), in suo tractatu *De officio et potestate parochi*: ab una parte definit omnimodam libertatem fidelium *satisfaciendi praecepto* ubicumque voluerint, statuendo: 1° parochus obligatur monere populum ut missas frequentent, cogere tamen non potest ut missam hanc audiat in parochia: nam decretum tridentinum utitur verbo *moneant*, et ita fuit decisum a sacra congregatione Concilii; 2° liberum est populo festivis diebus missae sacrificio in ecclesiis regularium interesse: probatur constitutione Leonis Xi *Intelleximus*, « et hoc idem declaratum fuisse a Clemente VIII° brevi quodam directo ad nuntium sedis apostolicae inferioris

---

19 Ibid. p. 337.

20 Sess. 5 *De reformat*, cap. 2, ibid. p. 20; sess. 24 *De reformat.* cap. 7, ibid. p. 343 s.

Germaniae anno 1592, die 2 Septembris, refertur in collect. privileg. Fr. Emman. pag. 520 sub num. 4. »; 3° neque ipsis regularibus vel populo praestent ordinarii desuper impedimentum, ut censuit s. congregatio episcoporum et regularium die 1 iunii 1606; 4° imo iam hodie ex consuetudine universo pene orbe recepta, scita et tolerata ab ipsis parochis, satisfaciunt fideles praecepto audiendo quamcumque missam extra parochiam, etiam in sacello, aut oratorio privato, ubicumque voluerint, etiam in maioribus solemnitatibus totius anni; 5° episcopi non possunt constitutionem facere, qua praecipiant suis subditis, ut non audiant missam nisi in propriis parochiis, et excommunicatio sub qua forte idipsum praeciperent esset nulla et irrita. Ab alia parte, distincta ab obligatione praecepti, manet altera ab illa independens, adeundi scilicet paroeciam, vel saltem non despiciendi eam: concedit Barbosa peccare lethaliter, qui proprio contempto parocho alibi missam audiunt. Dum autem prius declaraverat, nomine contemptus intelligi expressum contemptum cum indignatione et convitiis in proprium parochum iactatis (num. 18), statim, agens de canone *Ut dominicis,* « merito iubentur », inquit, « eiici a parochiis alieni parochiani ... quia in foro externo praesumuntur per contemptum parochi parochiam propriam deserere » (num. 19); immo paululum infra, nulla expressa censura, sententiam affert Michaelis Lochmaier, parochianum non in paroecia audiendo missam non peccare si causa suppetat legitima, venialiter si ex pigritia vel quia alia ecclesia est vicinior, mortaliter quando ex contemptu,

vero vel interpretativo; vocatur autem contemptus interpretativus quando sine causa legitima alibi audit, et praesumitur contemptus si non habet licentiam a proprio parocho, vel non habet causam legitimam; tunc enim peccat mortaliter, quia contemnit, et contra praecepta superioris et iuris venit [21].

Omnes tamen, qui, ut Barbosa, admittebant ius quondam commune contraria consuetudine fuisse abrogatum, vel, ut Azor († 1603) contendebant non *relinquere* ecclesiam paroecialem, at eam *contemnere* iure comuni fuisse et esse prohibitum, negant episcopum uti posse potestate sua iurisdictionali leges frendi ac poneas infligendi ut fideles obligaret et constringeret ad paroeciam frequentandam: hortationibus et persuasionibus pastoralibus contentus sit, vel, in casibus omnino exceptionalibus, praeter conditiones communiter ococcurrentes quibus iam iure communi aut consuetudinario provisum est, etiam mandato speciali uti posset episcopus. Libertas fidelium canonica, iam verum ac proprium ius subjectivum constituens, restringi nequit, nequidem si usus huius libertatis minime convenire videtur officiis boni parochiani: ius antiquum parochiale iamiam reduc-

---

[21] Cap. 11 num. 18: Lugduni 1712 p. 98 s. Idem de eodem argumento agit in *De officio et potestate episcopi,* pars 2 allegat. 24 num. 16-21: Lugduni 1656 p. 303 s., et in *Collectanea doctorum qui in suis operibus Concilii Tridentini loca referentes illorum materiam incidenter tractarunt ...,* sess. 22 *Decretum de observandis et evitandis in celebratione missae,* num. 31: Lugduni 1721 p. 168.

tum est ad piam laudabilemque devotionem personalem frequentandi ecclesiam paroecialem [22].

---

[22] AZOR, *Institutionum moralium* pars 1 lib. 7 cap. 6: « Certe si tota, aut maxima pars parochianorum parochiam desereret, vel contemneret, aut si res divina audiretur extra ullam causam, iustam scilicet et legitimam, in privatis sacellis et oratoriis, nullo ad id pontificio privilegio munitis, putaverim ego episcopis licere simplici mandato praecipere, ut parochiani ad suas parochias accedant, non tamen irrogatis poenis imperare, aut constitutionem ponere, qua edicerent, ne parochiani diebus dominicis sacrum audirent in privatis sacellis et oratoriis. Quapropter si constitutione posita, excommunicatio contra eos qui non obtemperant, ferretur, eam non contraherent ii, qui iusta ex causa extra parochiam sacrum audirent: immo declaratio cardinalium conc. Tridenti. sess. 24 cap. 4 *de Reformat.* sic habet: non potest ordinarius mulctis et poenis cogere populum ad audiendam missam aut concionem etiam in casu negligentiae aut contumaciae ». Romae 1600 col. 783; ut AZOR, PIRHING († 1679), *Jus canonicum* lib. 1 tit. 31 num. 142 in fine; Venetiis 1759 p. 341; SUAREZ († 1617), *In tertiam partem D. Thomae*, disp. 88 sect. 2 num. 12: « Utendo verbo *moneant* supponit ergo concilium nullum de hoc esse praeceptum; et ideo non dicit esse praecipiendos, sed monendos fideles, et non in omnibus diebus festivis, sed praecipue in aliquibus. Imo addunt Sylvest. et Navar. ... non posse episcopum cogere, per legem vel excommunicationem, subditos ad audiendas missas in propria parochia, quia non potest ipse ius commune restringere: hoc autem commune ius de audienda missa in die festo, cum hac locorum amplitudine, consuetudine ipsa universali explicatum est ». « Aliqui vero excipiunt ab hac generali regula praecipuas quasdam festivitates, ut Natale Domini, et alias, quae enumerantur in c. *Si quis etiam, De consecr.* d. 1. Sed in rigore praecepti nullam oportet exceptionem facere, quia consuetudo generalis est; consulendum tamen esset fidelibus, ut saltem his diebus, vel aliquoties in anno, ad divina officia, et praesertim ad missas audiendas, suas parochias adirent, et interdum posset hoc eis praecipi ab episcopo, in aliquo speciali die ob rationabilem aliquam causam, vel in aliqua etiam parochia nonnullis anni diebus, si ad splendorem divinorum officiorum, vel ad subveniendum aliis ecclesiae necessitatibus, videretur necessarium ». *Opera omnia*, tom. 21, 1846, p. 932.

Auctores quidem cisalpini hucusque laudati omnes inhaesitanter consuetudinem generalem totius Ecclesiae invocant, qua ius commune esset abrogatum. Azor, Angelus de Clavasio († 1494/5, qui scripsit *summam* suam *angelicam* circ. ann. 1486) et plures alii, « respondent », inquit, « generali in toto christianorum orbe consuetudine recepta id esse abrogatum, cum passim ubique locorum et gentium videamus christianos diebus festis extra parochiam suam sacrum audire. Ego tamen dubito, num ita generalis consuetudo sit hactenus introducta, nam alicubi, ut in quibusdam dioecesibus Flandriae, Galliae et Germaniae, parochi contendunt, his in locis contrariam esse consuetudinem, cuius vi cogunt parochianos ad suas parochias accedere » [23].

Re quidem vera, non tantum parochi talia iura vindicant, sed doctores plures iique magis noti gallici et belgici, post etiam concilium tridentinum, strenuere defendere pergunt antiquam disciplinam iuris paroecialis, atque non pauca insuper decreta conciliorum particularium afferunt quae strictam obligationem fidelium non tantum supponunt, sed etiam urgent. Franciscus Genettus, episcopus Vasionensis († 1702), arguendo a constitutione Sixti pp. IVi *Vices illius*, et a decretis ipsius concilii tridentini, observandum esse monet « christianos diligenter adesse debere missae parochiali dominicis, festisque praecipuis ... nisi honesta aliqua de causa impediantur ... [24] « Constat », ita ille, « Eccle-

---

23 *loc. cit.* col. 784.

24 *Theologia moralis*, tom. 6 tract. 4 cap. 2 quaest. 5: ibi laudat synodum Perusinam an. 1632 *De missa*, c. 25: « ... populum

siam semper desiderasse, ut fideles in propria parochia missam audirent, in qua etiam sacramenta baptismi et reliqua suscipere maxime convenit; praesertim quia parochia propria a Deo et ab Ecclesia unicuique fidelium primitus assignatur, *in his quae sunt ad Deum*: reliquae vero sunt tantum in subsidium et secundario constitutae »[25]. Gaspar Juenin, professor seminarii Parisiensis († 1707) in suo opere *De sacramentis in genere et in specie* longe lateque acutissimis ratiocinibus scholasticis probare intendit, tum ius canonicum vetus fidelibus missam parochialem audiendi debitum imposuisse, tum iure novo diebus festis ac dominicis fideles teneri se ipsos sistere praesentes parochiali missae: hic multum insistit in verbo *teneri* adhibito a Tridentino, quae synodus sessio 22 in calce decreti de observandis insuper episcopis injungeret, ut ad debitum parochiale fideles, etiam per censuras ecclesiasticas, si opus sit, compellant. Quaenam fuerit mens episcopatus et cleri

---

fidei nostrae commissum monemus, ut dominicis aliisque festis diebus ... ad missam audiendam, in suam quisque parochialem ecclesiam conveniant ... »; synodum Lunensem et Sarzanensem an. 1568 c. 24: « Statuimus, quod omnes et singuli in diebus festivis conveniant in ecclesia sua parochiali »; synodum Sabinensem an. 1590 c. 10 *de populo*: « Admonemus parentes et alios quoscumque, et eis praecipimus, ut saltem diebus dominicis et maioribus festis ad proprias ecclesias parochiales accedant ... ». Venetiis 1705 tom. 6 p. 203 s. Ibid. tom. 3 tract. 5 cap. 4 quaest. 6: « ... curare debent omnes fideles ut illi (scilicet missae parochiali) intersint, nisi legitime excusentur »; ubi laudat praeterea synodum provincialem Urbinatensem an. 1569 *de parochiis*, c. 3: « Mandamus ... ut ... fideles, in ecclesia parochiae ... missas audire, quantum commode fieri poterit ... omnino teneantur »: ibid. tom. 3 p. 255 s.

[25] *l. c.* p. 259.

gallicani, vel ex sola declaratione quam fecerunt Comitia generalia cleri gallicani, habita Parisiis anno 1655, qua fideles iure tenerentur sistere se praesentes parochiali missae, atque ad eius legis observationem, adhibitis etiam Ecclesiae censuris, ab episcopis compelli possent, satis superque claret. Idem Juenin non leviter peccare fideles, versantes in illis regionibus in quibus canones, qui parochialem missam praecipiunt, abrogati non sunt per consuetudinem legitime praescriptam, si numquam aut saltem raro intersunt missae parochiali, ex severis poenis a conciliis quibusdam etiam recentioribus comminatis deducit [26]. De cetero sibi persuasum est, in aliis provinciis fideles non teneri interesse parochiae. Item Natalis Alexander O. P., et ipse famosus doctor parisiensis († 1724), in opere suo *Theologia dogmatico-moralis secundum ordinem catechismi concilii tridentini*, ad probandam regulam, iuxta quam fideles diebus dominicis et festis parochiam frequentare, solemnem sacrum et verbum Dei in ea audire tenentur, plures adducit recentiores synodos, quae poenas easque graves in negligentes statuunt [27]. Fideles audientes missam

---

[26] Scilicet concilium provinciale Burdigalense ann. 1624 *de officiis divinis*, cap. 3: poena excommunicationis si quis tribus continuis dominicis a parochialis missae celebratione abest; synodus provincialis Turonensis ann. 1583: in eodem casu « poenas a sacris canonibus indictas incurrere declaramus »; synodus Lingonensis ann. 1679: in eodem casu excommunicatio latae sententiae. Gregorius XIII ter approbavit concilia huiusmodi poenas minantia, scilicet Rothomagense ann. 1581, Rhemense ann. 1581, Burdigalense primum; dissert. 5, quaest. 7, art. 2 *De missa parochiali*: Venetiis 1773 p. 214-219.

[27] Tom. 1 lib. 2, tract. 4 *De sacramento eucharistiae,* cap. 6, art. 5, regula 10, Venetiis 1772 p. 298: scilicet Senonensem

in ecclesiis regularium praecepto quidem satisfaciunt, aliunde tamen fieri potest ut peccent, etiam lethaliter, si ex contemptu agunt, ut ii qui tribus dominicis continuis, non obstante decreto et censura praelati, absunt [28]. Zegerus Bernardus Van Espen, ss. canonum in academia lovaniensi professor († 1728), ait synodos Belgicae passim urgere obligationem fidelium, et affert Namurcensem ann. 1639 tit. 3 cap. 27: « Parochiani, etsi vicini alicui capellae sub finibus parochialis exstructae, praecipuis anni festivitatibus et in dominicis ecclesiam parochialem frequentare non omittant: qui vero tribus continuis dominicis ab illa se absentaverint, admoneantur primum a suis pastoribus, et si monitionem contempserint, ad nos deferantur ». Citatio tamen iuridica ob omissam missam parochialem fieri non solet, neque censuris mulctisve ad frequentationem populum urgere solent episcopi; sed monitionibus contenti, populo tum in suis decretis, tum per parochos aliosque

---

1524, Carnotensem 1526, Parisiensem 1557: promotoribus iustitiae curiae episcopalis denuntientur parochiani, qui tribus diebus dominicis continuis sine causa legitima missae parochiali defuerint; Narbonensem ann. 1551 can. 36: excommunicatio ferendae sententiae: HARDUINUS, *Concilia*, tom. 10, col. 452; Rotomagense ann. 1581, *de curatorum et aliorum presbyterorum ac paroecianorum officiis*, n. 23: HARDUINUS, *l. c.*, col. 1240; Burdigalense ann. 1583 tit. 5, HARDUINUS, *l. c.*, col. 1341; Turonense ann. 1583 tit. 15, HARDUINUS, *l. c.*, col. 1424. In Germania statuta minus severa sunt; poenas minantur tantum statuta synodalia episcopi Ratisbonensis ann. 1512; HARTZHEIM, *Concilia Germaniae*, tom. 6 p. 91; cf. etiam synod. provinc. Coloniensis ann. 1536, cap. 24: *ibid.* p. 284; statuta syn. Trevirensis ann. 1678; *ibid.* tom. 10 p. 67 sub IV.

[28] Regula 11, *o. c.* p. 299.

concionatores obligationem et fructum inde provenientem proponere consueverunt [29].

4. *Doctrina Benedicti XIV et stylus romanae curiae.*

Ut in aliis, ita etiam in hac quaestione solutionem determinavit et practice controversiis finem fecit opus maximae auctoritatis Benedicti XIV († 1758) *De synodo dioecesana,* et quidem lib. 11 cap. 14, cui titulus: *Non potest a nimia severitate excusari synodalis constitutio, adigens seculares ad missam, Deique verbum audiendum in ecclesia parochiali omnibus dominicis aliisque festis diebus.* Inter constitutiones synodales episcopi Midensis (Meath in Hibernia), quarum plures s. congregatio Concilii emendandas imo delendas esse decrevit die 24 aug. 1686, erat etiam quinta, quae talem obligationem adeundi paroecialem ecclesiam statuit. Benedictus XIV, exponendo quodnam iure de huiusmodi obligatione definitum sit, ad probandam conclusionem, fideles scilicet non peccare immo praecepto satisfacere audientes missam in qualibet ecclesia, modo non sit capella seu oratorium privatum [30], non alia ac solita argumenta affert: re-

---

29 *Jus ecclesiasticum universum,* pars 2 sectio 1 tit. 5 cap. 2 *De missa publica sive parochiali,* Lovanii-Lugduni 1778 p. 413-415. Nihil hoc loco habet de privilegiis religiosorum; pars 1 sectio 2 tit. 2 cap. 2 num. 21 tantum notat: « Quapropter licet ex Ecclesiae conniventia et longa consuetudine, praecepto Ecclesiae de audienda missa die dominico aut festo satisfiat per auditionem missae privatae ... ».

30 Exclusum ab ipso Benedicto XIV epistula encyclica *Magno cum* 2 iun. 1751: Gasparri, *Fontes* vol. 2 p. 318-331.

gularium ecclesiis privilegia contra ius olim commune concessa, quoad alias ecclesias consuetudo « in toto christianorum orbe recepta », circa cuius existentiam, non obstante lectura accuratissima operum doctorum ut Juenin, Van Espen, quos statim ipse affert, ne levissimum quidem dubium Benedictus manifestat; item, quidquid sit de verbis quibus usa sit synodus tridentina, obligatio Dei verbum audiendi in propria parochia, si umquam fuit, ablata est per contrariam consuetudinem, « cum passim viri pii et docti alio se conferant ad sacros audiendos oratores ». In expositione Benedicti maxime attendenda sunt haec tria: primo ipse solvit conceptum technicum iuris classici « contemptus parochi » definitive a visitatione aliarum ecclesiarum: « nomine contemptus intelligi actum aliquem distinctum ab ipsa audientia sacri extra parochiam » iam alii ante eum dixerant; at Benedictus nullum verbulum facit de contemptu, in foro externo praesumpto, manifestato in derelictione paroeciae propriae! Deinde, quod attinet consuetudinem contrariam legi ecclesiasticae, « Van Espen », inquit, « quamvis eam in Belgio minime abrogatam contendat, num. tamen 15 fatetur, solere episcopos monere quidem atque hortari, non vero ullo iudiciali actu populum compellere ad interveniendum missae parochiali ». Demum, quod praecipuum est, apparet stylum curiae, in hac re iam stabilitum, non amplius admittere, ut antea, ius particulare obligare fideles ut adeant missas et conciones paroeciales: « episcopus Midensis, (si) suam ... constitutionem verbis formasset tantum hortatoriis, nulli fuisset reprehensioni obnoxius;

sed, quia praeceptum adiecit, hoc fuit expungendum, quemadmodum, jubente eadem s. congregatione, saepius ante expunctum fuerat ab aliis similibus synodalibus statis »; et « s. congregatio Concilii saepius declaravit, non posse ordinarium multis et poenis subditos adigere ad concionem auscultandam in paroecia » [31]. Unde concludere licet, libertatem canonicam fidelium a vinculo iuris parochialis, iure antea communi definito, introductam esse, praeterquam privilegiis regularibus concessis, consuetudine contraria, cui in multis regionibus animarum pastores non contradicebant, in aliis tamen episcopi et parochi maiori vel minori vi sese opponebant; cui consuetudini, ut ubique terrarum verum ius canonicum constitueret, accedit auctoritas ipsius sanctae Sedis, speciatim s. c. Concilii. Inde a Benedicto XIV° nempe hanc libertatem indubie, ubique, canonice existere certum est: curia romana illam verbis formalibus edicit [32];

---

31 Opus ZEROLA († 1603), *Praxis episcoporum,* quod Benedictus, ut multi alii doctores antea, affert, mihi consulere non licuit: quae habet in parte 1 sub verbo *Missa,* § 6 exscribo e JUENIN, *De sacramentis,* diss. 5 quaest. 7, art. 2, § 4, Venetiis 1773, p. 218: « Circa excommunicationem ferendam in eos, qui diebus dominicis non accedunt ad matricem vel parochialem ecclesiam pro missa audienda, congregatio censuit hanc poenam excommunicationis, etiam in casu notabilis negligentiae aut contumaciae, nullo decreto Concilii impositam fuisse ».

32 S. C. de Prop. Fide litt. 30 iun. 1845: « Haud probare possumus consilium fideles cogendi, ut in diebus festis parochi missae et instructioni interveniant, interdictis aliis ecclesiis aut oratoriis sub reservatione. Quamvis enim persuasum habemus, quae et quanta ex frequenti eiusdem salutari verbi Dei pabulo Christi grex ad aeternam vitam perciperet adiumenta, compertum tamen est A. Tuae numquam id sub praecepto ac peccati vinculo praecipi Apostolicae Sedis mentem fuisse. Hinc est, quod paternis

decreta iuris particularis saeculi 19[1] omnium regionum ,etsi non raro verbis valde hortatoriis utantur, numquam tamen obligationem strictam fidelium statuunt, nedum poenas minantur, immo pluries expressis verbis declarant fidelibus ius esse ubique satisfaciendi praecepto missae festivae [33]; consensus auctorum saeculo 19° est unanimis, etiam in iis regionibus, quae maiorem et pertinaciorem resistentiam viderant contra abrogationem iuris antiqui, et omnium fere communis fons est opus Benedicti: auctores plerique contenti sunt brevi

---

iteratisque monitis potius fideles, ut mediis animae suae satius consulant, existimamus ». GASPARRI, *Fontes* tom. 7 p. 322 s. num. 4814.

33 Conc. prov. Quebecensis IV ann. 1868: « Cum missa parochialis specialiter pro parochianis celebretur, curent parochi et confessarii ut fideles intelligant quanti haberi ac quanto fructu frequentari debeat: atque, juxta praescriptum s. Conc. Tridentini, moneant eos ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et maioribus festis, accedant. Attendant tamen animarum pastores jam nunc non teneri fideles, vi praecepti Ecclesiae, missam parochialem audire. Ad istud enim praeceptum adimplendum, missae cujuslibet extra oratorium privatum celebratae auditionem omnino sufficere declaramus ». *Coll. Lac.*, tom. 3, col. 711; Conc. prov. Cassaliensis ann. 1853: « ... Verumtamen, non est imponendus laqueus conscientiae adigendo eos sub gravi ad hanc prae aliam missam, quandoquidem non in sola propria ecclesia, sed etiam in alia praecepto ecclesiastico satisfieri potest, praesertim si concionem sibi idoneam alibi audiant ». *Ibid.*, col. 835. Vide etiam: conc. prov. Tuamense ann. 1817, *ibid.*, col. 767; conc. prov. Remense ann. 1849, *ibid.*, tom. 4, col. 111; conc. prov. Avenionense ann. 1849, *ibid.*, col. 334; conc. prov. Albiense ann. 1850, *ibid.*, col. 425; conc. prov. Aquense ann. 1850, *ibid.*, col. 990, et acta eiusdem concilii col. 1020; conc. prov. Tolosanum ann. 1850, *ibid.*, col. 1056; conc. prov. Bituricense ann. 1850, *ibid.*, col. 1110; conc. prov. Auscitanum ann. 1851, *ibid.*, col. 1195; conc. prov. Pragense, *ibid.*, tom. 5, col. 467; conc. prov. Ultrajectense ann. 1865, *ibid.*, col. 878.

affirmatione, ius antiquum privilegiis et consuetudine esse abrogatum [34]; qui quaestionem non tangunt, saltem numquam inter iura parochi enumerant ius ad assistentiam fidelium missae festivae; qui pergunt sustinere veram obligationem fidelium, ita pauci sunt et ita raro ab aliis observati, ut potius unanimitatem magis apparere faciant [35].

---

34 PHILIPPUS DE ANGELIS († 1881), *Praelectiones iuris canonici*, tom. 2, pars 2, Romae-Parisiis 1879, p. 51; FRANCISCUS SANTI († 1885), *Praelectiones iuris canonici, Liber III*, Ratisbonae... 1886, p. 265 s., num. 15; PIETRO VERMIGLIOLI, *Lezioni di diritto canonico... per uso della gioventù studiosa*, libro III, Perugia 1837, p. 224 (qui loquitur de consuetudine « accettata da tutta la chiesa universale, e dal tacito consenso dei Parochi »!); F. X. WERNZ, *Ius decretalium*, tom. 3, pars 2, Romae 1908², p. 63 n. 406 nota (55) et (56); D. CHAISSON († 1881), *Manuale totius iuris canonici*, tom. 3, ed. 2, Parisiis 1865, num. 4912-6913, p. 527-529; E. GRANDCLAUDE († 1900), *Jus canonicum iuxta ordinem decretalium recentioribus sedis apostolicae decretis et rectae rationi in omnibus consonum*, tom. 2, Parisiis 1880, p. 403 s.; J. DARIS († 1905), *Praelectiones canonicae quas in seminario Leodiensi habuit*, vol. 3, Leodii 1865, p. 396; JOS. ANT. SAUTER († 1817), *Fundamenta iuris ecclesiastici*, vol. 2, Rotwilae 1826, p. 103; S. AICHNER († 1910), *Compendium iuris ecclesiastici*, 5ª ed., Brixinae 1884, p. 416 s.; J. A. EINZEL, *Handbuch des neuesten in Oesterreich geltenden Kirchenrechts*, tom. 2, pars 2, Wien 1862, p. 328.

35 PERMANEDER († 1862)-SILBERNAGL († 1904), *Handbuch des gemeingiltigen katholischen Kirchenrechtes*, 4ª ed., Landshut 1865, p. 372 s. omnes parochianos assistere debere missae parochiali festivae contendunt; praeceptum quidem mitius factum est a consuetudine, quando cultus publicus in ecclesiis regularium magis in usu venit, at excusatio a praecepto semper requirebat rationem sufficientem. Auctores sequuntur SEITZ, *Recht des Pfarramts der Katholischen Kirche*, Th. 2, Abth. 2, § 28, p. 216-234, et eiusdem *Von der Verpflichtung der Parochianen, dem Kirchengebote durch Besuch der eigenen Pfarmesse zu genügen*: Zeitschr. für Kirchenr. und Pastor.-Wissensch., tom. 1, fasc. 2, Regensburg 1842, p. 78-98. R. VON SCHERER († 1918), *Handbuch des Kirchenrechts*, tom. 2, 1898, etsi § 142, num. II, p. 684 dicit, fideles diebus dominicis et festis debere assistere missae in ecclesia pa-

5. *Ius codicis.*

Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi [36]. Canon 1249, statuendo legi de audiendo Sacro satisfacere, qui missae adest in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semipublico, non vero in aliis oratoriis privatis, revera vigentem hucusque disciplinam retinet et ius vetus ex integro refert. Canon 467 § 2: « Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri potest, ad suas paroeciales ecclesias accedant ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant », una formula coniungit duo decreta tridentina, suppressis tamen vocabulis « saltem diebus dominicis et maioribus festis » necnon verbo « teneri »: at hae immutations *iuris* immutationes non sunt, sed mere *formulae*: canon enim exacte exprimit ius, quod interpretatione universaliter accepta decretorum iam ante codicem definitum erat. Ideo disciplina vigens, attentis regulis canonicis interpretationis, hisce complecti potest.

---

rochiali, tamen nota [13], p. 685et tom. I, § 92, num. IV et nota [27] p. 634 clare manifestat se sequi doctrinam communem; item H. J. ICARD († 1893), *Praelectiones iuris canonici habitae in seminario sancti Sulpitii*, tom. 2, 4ª ed., 1875, p. 378-382, num. 520, magis quidem quam fieri solet urget assistentiam missae et concioni paroeciali, agnoscit tamen libertatem canonicam fidelium.

[36] Canon 6.

Quod attinet ipsos fideles:

1° ipsi habent libertatem canonicam, seu verum ius subiectivum satisfaciendi praecepto missae festivae audiendae ubicumque codex illud fieri concedit. Cum lex universalis ipsa simpliciter statuat, praecepto satisfieri, lex particularis vel mandatum iurisdictionale superioris romano pontifici inferioris, quibus aliae quaecumque conditiones ponerentur *ad hoc praeceptum implendum,* utpote non praeter, sed contra ius data, valorem non haberent; neque refert, utrum conditiones huiusmodi vellent respicere validitatem impletionis vel solam liceitatem: nam in utroque casu essent contra ius generale, quod legi satisfieri sine distinctione declarat.

2° Frequentatio officiorum et concionum in ecclesia paroeciali consilii est, non praecepti. Verba *monendi sunt,* quibus utitur canon 467 § 2, per se et stricte loquendo argumentum non constituunt, cum saepe saepius monitiones in codice respiciunt obligationes exsequendas [37]; verba *ubi commode id fieri potest* quidem obligationem certe non gravem immo merum consilium insinuare videntur [38]; at iure tempore immediate ante codicem vigente, ut ab ipsa curia romana et ab auctoribus probatis acci-

[37] Ut canon. 904: confessarius debet monere poenitentem de onere denuntiandi sollicitationem; can. 617, § 1: superior monitus de abusibus removendis; can. 1405, § 2: ordinarii locorum moneant fideles de periculo lectionis librorum prohibitorum; can. 1513, § 2: haeredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant; etc.

[38] Cf. v. g. can. 1209, §§ 2 et 3, quae distinctionem claram habent inter *ubi fieri potest* et *ubi id commodum fuerit* vel *quatenus commode fieri potest.*

piebatur, luculenter demonstratur, obligationem veram, sub quocumque peccato impositam, huic monitioni non subesse. Inde minus recte quidam commentatores codicis insinuare videntur, fideles, ubi commode paroeciam adire possunt, vel quando nulla habetur ratio illam non adeundi, quadam obligatione teneri, aut etiam graviores *requiri* rationes ut quis numquam intersit vel fere officiis et concionibus in paroecia propria. Ratione non impletionis praecepti, quod non existit, peccatum adesse nequit, etsi forsitan alia ratione committi posset.

Quod attinet episcopos et parochos:

1° liberatem canonicam fidelium tollere vel minuere nequeunt, neque id quod est consilii quoquo modo ponere sub praecepto.

2° Officium, iure codicis ipsis praecise impositum, ac proinde plenum ius habent mediis pastoralibus fideles ad paroeciales ecclesias frequentandas adducere. Rectores aliarum ecclesiarum numquam vitio vertere possunt episcopis, quod ecclesiis paroecialibus magis favent, etiam forte cum damno frequentationis aliarum ecclesiarum, nam faciunt quod ipsis ab Ecclesia iniunctum est. Quodque adhortationes episcoporum etiam urgentes sancta Sedes minime reprobat, vel satis claret ex uno exemplo concilii provincialis Albiensis ann. 1850 celebrati, utentis verbis Caroli Borromaei, iam saepe antea laudatis ab ipso Benedicto XIV multisque aliis auctoribus:

« Concilii Albiensis Patres, juxta commendationem Tridentinae Synodi, cum S. Carolo *cohortantur omnes et singulos, ac per viscera misericor-*

diae Jesu Christi obsecrant atque obtestantur, ut, quamvis alias Ecclesias habeant ubi sanctissimo Missae Sacrificio interesse possint, frequenter, dominicis saltem aliisque solemnibus festis diebus, ad suam quique Ecclesiam conveniant ...» [39].

Ordinarii locorum ipsis fidelibus prohibere nequeunt frequentationem aliarum ecclesiarum; numquid praecipere possunt rectoribus, ut as suas ecclesias vel oratoria publica et semipublica fideles ad missam dominicalem audiendam non admittant? Hanc quaestionem secunda pars tractabit.

(*Continuabitur*)

P. Huizing S. J.

---

[39] Coll. Lac., tom. 4, col. 425.

DE VALORE LEGIS NATURALIS IN ORDINE REDEMPTIONIS

Summus Pontifex, in allocutione ob recurrentem nativitatis Domini diem anni elapsi facta [1], christifideles catholicos adiurat, ne et ipsi putent pro fundamento vitae socialis, praesertim internationalis, sumendam non esse legem naturalem. Atque rationem a quibusdam pro tali sententia allatam, nos nempe in ordine redemptionis vivere et ideo ordini naturae subtractos esse, supernaturalismi exaggerati arguit. Opportere, affirmat Summus Pontifex, ut homines catholici curent, ne tali errori aliquomodo occurrant. Certum est non nullos fideles tali sententia supernaturalistica, quam falso « integralem » dicunt, nimis moveri. Forsitan ipsi vix recogitaverunt, quomodo sententia ista erronea cohaerere possit cum facto, quod Summi Pontifices in documentis authenticis, decenniorum praesertim proxime elapsorum, toties ad legem naturalem recurrunt ad solvendas quaestiones morales et iuridicas maximi momenti.

Legem naturalem etiam in statu hominis supernaturali plenum habere valorem, tum ex Sacra Scriptura, tum ex Ecclesiae documentis, tum ex doctrina Patrum et theologorum monstrari potest. Hanc autem investigationem fontium theologicorum hic praetermittimus. Intentio nostra est alia.

---

1 AAS 47 (1955) 25.

Quaerendum enim est, undenam diffidentia illa circa valorem legis naturalis oriatur. Ratio praecipua nobis esse videtur, quod multi clarum conceptum sub respectu theologico, legis naturalis non habent. Revera, in quaestione posita, ad *theologiam* recurratur oportet. Ubi enim de natura hominis in ordine redemptionis christianae agitur, statim problema theologicum perdifficile relationis inter « naturale » et « supernaturale », uti dicunt, oritur. In scholis autem, dum tractatio de lege naturali ut plurimum *philosophica* esse consuevit, quaestio de relatione naturam inter et supernaturale in theologia dogmatica fusius tractatur, quin tamen de lege naturali mentio explicata fiat. Hinc oriri videtur, quod quidam verum locum legis naturalis in lege Christi, i. e. in lege morali nostro statui salutis congrua, non bene videant.

Alia, utique, etiam difficultas multorum menti occurrit: quaestio nempe, utrum intellectus hominis lapsi sufficiat ad legem naturae *cognoscendam*; et sunt, qui putent unice ex revelatione supernaturali legem moralem hominis christiani — etiam ex qua parte haec est naturalis — cognitam esse. Istam quoque quaestionem transmittentes, unicum problema de conceptu, sub respectu theologico, legis naturalis et quisnam exinde locus huic naturae legi in supernaturali lege Christi conveniat, aggredimur.

Sed nec istud problema paucis paginis plene pertractari potest; unde quaedam puncta seligimus. Triplex praecipue ratio dubitandi de valore legis naturalis in ordine redemptionis christianae assignanda videtur:

1. *Sunt qui putent legem moralem supponere hominem (saltem ex parte) simpliciter naturalem,* cum totus sit supernaturalis: veram ergo legem moralem hominis existentis nullo modo ab hominis natura sumendam esse, sed a vera eius realitate, quae est supernaturalis. Non vero satis vident, quomodo natura — vere talis manens — supernaturaliter realizetur, ita ut *lex naturalis vere, etsi non adaequate, norma moralis hominis in ordine supernaturali existentis esse possit ac debeat.*

2. *Sunt qui putent legem naturalem esse aliquid prorsus metaphysicum et ideo staticum,* cum tamen existentia nostra supernaturalis sit status quidam historicus. Legem ideo naturalem omnino ineptam esse dicunt ad mensurandam vitam hominis in historia salutis; e contra, legem moralem cuiuscumque status historici (de quo Deus personaliter disponit) totam et totaliter a Deo revelante immediate accipiendam esse. Non satis vident in historia salutis de salute *hominis* agi: cuius *ergo naturalis lex legem moralem cuiuscumque status historici necessario penetrat.*

3. *Sunt qui putent legem naturalem,* cum sit aliquid « mere » naturale, *nullo modo proportionatam esse homini, qui est totus supernaturalis*: cui ergo unice norma quaedam prorsus supernaturalis correspondere possit. Non vero satis vident, quomodo *ex Dei ordinatione supernaturali observatio legis naturalis expressio tendentiae in finem supernaturalem sit oporteat*: ita ut qui debito modo in gratia et caritate vivat, *in observatione legis naturalis non solummodo legem naturalem impleat*: lex

ergo naturalis participat in elevatione supernaturali hominis.

Ita breviter iam descripsimus, quae in sequentibus paululum explanare cupimus: in ordine supernaturali legem naturalem 1) plenum habere valorem, 2) penetrare legem supernaturalem talis ordinis, 3) in tali ordine supernaturaliter perfici.

1) *Lex naturalis, vera norma in ordine supernaturali.*

a) Ante paucos menses, theologus protestans F. Flückiger primum volumen edidit « historiae iuris naturalis »[2]. Expositis quaestionibus de iure naturali apud Graecos et Romanos, per 200 paginas agit de iure naturae in doctrina Patrum Ecclesiae et theologorum medii aevi, usque ad sanctum Thomam Aquinatem inclusive. Thesis fundamentalis huius inquisitionis est haec: aliter atque apud Graecos et Romanos, tum in Sacra Scriptura tum apud Patres legem naturalem ultimatim non referri ad naturam hominis metaphysice sumptam, sed ad naturam integram creationis originalis (et hoc in oppositione praecise ad naturam depravatam hominis lapsi); solam naturam integram esse expressionem voluntatis divinae et normam vitae moralis hominis. Unica quaestio pro Patribus est, secundum auctorem, de *invenienda* ista norma in mundo hominis lapsi. Quam a Patribus solvi putat *non* inquisitione facta in naturam metaphysicam hominis, sed recurrendo *vel* ad historiam revelationis *vel* ad speculationem de « logos », qui revera

[2] F. Flückiger, *Geschichte des Naturrechtes*, Erster Band: *Altertum und Frühmittelalter*, Zollikon-Zürich 1954.

est Christus. *Primum* ergo ex historia revelationis: Christus restituit quae Adam perdiderat; unde lex Christi identificatur cum lege paradisi, quae est vera et unica lex « naturalis ». Ex speculatione *dein* de « logos », praesertim inde a Clemente Alexandrino, Origine, Ambrosio: solummodo ea quae Christus qui est verus « logos », tamquam legem vitae nobis annuntiat, sunt lex naturae humanae; normae morales, quae iam antea, etiam paganis, notae erant, tantum « logoi spermatikoi » eiusdem « logos » aestimanda sunt.

Huius loci non est ostendere tum in Sacra Scriptura (v. g. apud S. Paulum), tum apud Patres Ecclesiae (etiam priores, v. g. apud S. Irenaeum Lugdunensem), conceptionem legis naturae *metaphysice* sumptae omnino inveniri, — praeter conceptum naturae et legis naturae *historice* sumptae. Neque hic monstrandum venit conceptionem legis naturae metaphysice sumptae, quam praesertim apud S. Ambrosium et S. Augustinum inveniri auctor negare non potest, omnino non esse elementum propriae horum Patrum conceptioni extraneum. Certo Patres, etsi, ad modum S. Pauli, conceptionem historicam conceptioni metaphysicae multoties praeferunt, tamen sicut S. Paulus [3], et ipsi [4], conceptum etiam metaphysicum naturae et

---

[3] Cfr. O. Kuß, *Die Heiden und die Werke des Gesetzes* (nach Röm 2, 14-16): Münchener Theologische Zeitschrift 5 (1954), 77-98. In quo articulo alluditur speciatim ad ea, quae scripsit F. Flückiger, *Die Werke des Gesetzes bei den Heiden* (nach Röm 2, 14ff): Theologische Zeitschrift, 1952, 17ff.

[4] Cfr. O. Schilling, *Naturrecht und Staat nach der Lehre der alten Kirche*, Paderborn 1914. Cfr. etiam V. Giorgianni, *Il*

legis naturalis, tamquam elementum organicum et proprium theologiae Christianae habent.

Aliud est quod, citando librum auctoris protestantis, indicare voluimus. In ista enim interpretatione doctrinae Patrum de iure naturali mens plurimorum theologorum protestantium nostri temporis reflectitur: « natura » ab illis intelligitur id, quod Deus initio creavit, natura ergo integra; *nec inter elementum naturale et supernaturale in hac totalitate « naturae » distinguunt. Secundum hanc conceptionem ergo lex naturalis significat voluntatem Dei, quae per naturam integram exprimitur.* Unde oritur difficultas loquendi in statu naturae lapsae, etsi reparatae, de lege naturali eique attribuendi plenum valorem. Etenim, *vel* sumunt tamquam legem naturalem hodiernam illam voluntatem Dei, quae manifestatur creatione hominis in statu naturae integrae: tunc certum est talem legem naturalem non esse proportionatam homini in statu naturae lapsae existenti; nam in eo revera naturam paradisi integram non inveniri, sed destructam esse patet; *vel* tamquam legem naturalem hodiernam sumunt eam normam, quae homini lapso proportionata esse videtur: sed tunc iam non habetur vera lex naturae integrae (quam solam tamquam Dei voluntatem originariam agnoscere volunt), sed eius transmutatio pro statu naturae lapsae. Cum in prima tum in secunda conceptione difficile est verum et plenum valorem legis naturalis admittere.

---

concetto del diritto e dello stato in S. Agostino (Il pensiero medioevale I, 2), Padova 1951.

b) Revera, ubicumque aliquis *status historicus* pro fundamento ultimo legis naturalis sumitur, disproportio huius legis naturalis pro alio statu historico a priori exspectanda est. Unde valor talis legis pessumdatur. Theologia catholica in « natura » primaeva hominis, etsi eam « naturam » appellare permittat, immo ipsa illam « naturam » vocaverit [5], inter elementum naturale et elementum supernaturale ac praeternaturale distinguit. *Solum elementum naturale, fundamentum absolutum legis naturalis assignatur*. Ad quod elementum omnia pertinent, quae hominem in quacumque periodo oeconomiae salutis constituunt — dum omnia elementa eliminantur, quae statum quemdam historicum specificant. Natura ergo « absoluta », i. e. soluta ab elementis determinantibus ad hunc vel illum statum historicum, *legem naturalem absolutam* fundat [6]. Unde non omnino certum est ea omnia in hoc fundamento legis naturalis absolutae *formaliter* et *determinate* includi, quae vel constitutive vel consecutive vel exigitive ad hominis naturam pertinere dicuntur. Non enim constat omnia, quae, praeter elementa constitutiva, hominis naturalia dicuntur, etiam in omni statu historico — v. g. in statu naturae lapsae vel integrae — inveniri. Ideo *status naturae purae*, quem vocant, secundum sententiam bene probabilem, habendus est ut determinatus status *historicus*, etsi possibi-

---

5 Cfr. Denzinger 130.

6 Notum est concilium Vaticanum, de naturali Dei (et legis moralis) cognitione agens, apprime distinguere inter naturam absolutam (Denzinger 1785) et naturam historicam post lapsum (Denzinger 1786).

lis tantum. Unde bonum est legem naturalem absolutam non sine distinctione ad statum naturae purae referre.

Quaenam autem concrete et physice ad naturam hominis, quae legem naturalem absolutam fundat, pertineant, *theologice* cognosci potest eo, quod elementa supernaturalia vel praeternaturalia hominis, in statu quodam historico viventis, negligantur. Patet autem hoc revelationem supponere, quia illi status historici de facto sunt status oeconomiae salutis *supernaturalis*. Quia autem extensio revelationis pendet a libera Dei voluntate, bene intelligi potest quorundam affirmatio, ex qua de quibusdam elementis hominis de facto existentis nesciremus, utrum ad naturam absolute spectatam pertineant, an sint effectus alicuius dispositionis positivae in oeconomia salutis (v. g. *talis* modus et vis concupiscentiae) [7].

Dicendum ergo est legem naturalem absolutam, *abstractionem* quandam esse ex tota realitate hominis historice existentis (sicut et elementa supernaturalia, in se considerata, abstractio quaedam sunt). Abstractio autem dicit *intellectionem* huius status realis hominis, sub determinato quodam resepctu. Praecisse quia natura, ad quam lex naturalis absoluta refertur, est natura « ab-soluta » ab elementis propriis cuiuscumque status historici, ideo in quocumque statu historico huius naturae, enuntiationes legis naturalis, habendae sunt enuntiationes verae de homine sic existente.

---

[7] Cfr. K. Rahner, *Über das Verhältnis von Natur und Gnade, in libro suo*: Schriften zur Theologie, Einsiedeln-Köln (1954), 323-345.

Nec elevatio in ordinem supernaturalem, nec peccatum Adae efficiunt, ut iam non agatur de illa natura absoluta et ut lex naturalis non sit lex hominis elevati vel lapsi; nam semper habetur *natura* elevata vel lapsa. *Elevatio* supernaturalis est concretizatio naturae ad quendam statum historicum. *Deterioratio* autem naturae, quae fit per peccatum originale, affirmatur non ex comparatione facta cum *natura* absoluta, sed vel cum *statu* naturae integrae vel cum *statu* naturae purae.

c) Difficultas quaedam haberi potest. Si de elementis quae ad naturam absolutam concrete et physice pertineant, scimus per « substractionem » eorum, quae ex revelatione cognoscimus esse supernaturalia vel praeternaturalia: num ideo loquimur de alia lege naturali atque illa, quae nobis generatim in philosophia morali proponitur quaeque intelligitur esse illa lex, quae ex hominis natura *vi cognitionis naturalis* habetur vel saltem haberi potest? Etsi diximus nos quaestionem de cognitione legis naturalis praetermittere, de ista tamen difficultate breviter agendum est; nam si legem naturalem non intelligeremus eam esse, quae generatim talis vocatur, et de cuius valore dubitant, non est cur expositionem nostram protrahamus.

Revera Ecclesia, cum S. Paulo, cognoscit legem naturalem, quam intellectus noster (ut vis cognoscitiva) ex natura humana (ut fonte cognitionis) habere potest. Natura quam, respectu habito ad revelationem de statibus historicis oeconomiae salutis, vocavimus *absolutam*, eadem est secundum doctrinam Ecclesiae ac illa, quam in-

tellectus noster ut naturam *metaphysicam* cognoscit. Ecclesia enim *unam* tantum legem naturalem docet.

Philosophus utique, solummodo de homine qualis de facto est, scire potest, i. e. de homine sub sequelis peccati et influxu gratiae vivente. Nihilominus naturam hominis *metaphysicam* cognoscere potest. Idem *in particulari* de singulis elementis hominis dicendum est: v. g. de eius relatione ad Deum, de eius personalitate et relatione ad alios homines, de natura sexualitatis, matrimonii, etc. (Elementa autem *propria* huius status historici, effectus nempe peccati et gratiae — etsi ignorantur esse elementa historica tantum —, sub luce naturae metaphysicae et ideo legis naturalis absolutae diiudicantur). Concedendum est lege naturali non exprimi — pro statu hominis de facto existentis — *plenum* sensum v. g. matrimonii vel relationis hominis ad Deum[8]; nihilominus sensus matrimonii et relationis ad Deum *vere*, etsi indeterminate, enuntiari potest. Dicendum ergo est legem naturalem, qualem homo naturaliter cognoscere per se potest, normam veram pro vita hominis christiani constituere.

Nec dicatur legem naturalem, sic cognitam, viam esse *ad finem hominis mere naturalem*. Haec enim lex, cum non ad naturam puram, sed ad naturam absolutam et metaphysicam ultimo referatur, evidenter non est via tantummodo ad finem

[8] In hoc insistunt, et quidem nimis ni fallimur, v. g. H. de Lubac S. I., *Le mystère du Surnaturel*: Recherches de Science Religieuse 36 (1949) 89; H. U. v. Balthasar, Karl Barth, *Darstellung und Deutung seiner Theologie*, Köln 1951, 294.

mere naturalem, sed ad finem hominis simpliciter et absolute. Ita tamen incertum manet, quo determinato modo finis hominis de facto et historice realizetur. Solummodo si quis philosophice interpretari contendit, qualis sit concrete et physice finis ultimus hominis in puris naturalibus constituti, tunc eius interpretatio pro tali statu tantum valet: enuntiatio enim non est de homine simpliciter tali, quia natura variis modis realizari potest [9].

2.) *Lex naturalis, legem moralem supernaturalem penetrans.*

a) Diximus secundo, doctrinam de lege naturali ideo multos offendere quia talis lex est immutabilis; dum, contra, homo est « ens historicum », quod praesertim ex revelatione de oeconomia salutis elucet. Quomodo lex immutabilis et statica — ita dicunt et quaerunt — potest esse homini, in oeconomia salutis viventi, norma moralis proportionata? Nonne potius requiritur norma variabilis ac se unicuique statui adaptans?

Neminem potest latere falsam huic quaestioni conceptionem legis naturalis subesse. Praecise conceptio illa theologica, quae legem naturalem refert ad naturam a proprietatibus diversorum historiae statuum absolutam, apta est ad permittendum, ut vis huius legis naturalis, omnino immutabilis, quemcumque hominis statum penetret. Distinguendum est inter elementa naturae, quae in oecono-

---

9 Cfr. Ch. Boyer S. I., *Morale et surnaturel*: Gregorianum 29 (1948) 527-543.

mia salutis specifice determinantur, et alia elementa naturae, quae talem determinationem non accipiunt. In hoc ultimo casu, neque respectiva lex naturalis determinationem quandam accipit: sic v. g. masturbatio simpliciter in quocumque statu hominis est contra naturam. Aliter dicendum de illis elementis, quae revera modo determinato specificantur. Si v. g. lex naturalis absoluta homines in societate civili vivere vult, tunc eadem lex propter debilitatem hominis lapsi ius coërcitionis concedit, etsi pro tali statu tantum: et hoc praecise, ut intentio legis naturalis absolutae in debilitatis quoque statu realizetur. Ut generice loquamur: Elementa naturam absolutam in historia salutis determinantia proprium momentum pro norma moralitatis hominis, in tali statu viventis, certe habent; secus norma moralitatis non esset proportionata huic hominis statui. Sed quomodo elementum naturam determinans, normam moralitatis determinare valet? Videndum est, quid natura humana vel respectiva lex naturalis absoluta et immutabilis, pro tali existendi modo exigat. *Nec* sola lex naturalis absoluta potest esse norma hominis historici, *nec* elementa historica, hominis naturam determinantia, independenter a lege naturae normam moralem huius hominis constituere possunt. Lex ergo naturalis, immutabilis persistens, *penetrat* totam normam moralem hominis historice existentis, nullo elemento huius normae excepto.

b) Lex ergo naturalis absoluta non deformatur; mutatio deformans habetur tantum a norma totali unius *status* naturae ad normam totalem alterius *status*. Prout enim lex naturalis abso-

luta status specifice diversos naturae humanae penetrat, variae necessario erunt normae totales horum statuum; et hoc praecise vi legis naturae absolutae, quae exigit, ut omne elementum determinans tamquam elementum *hominis* habeatur et diiudicetur.

Unde multi theologi protestantes logice omnino agunt, si legem moralem hominis lapsi aegre parati sunt appellare legem *naturalem*: quatenus nempe legem naturalem referunt ad statum naturae *integrae*. Revera, quae hodie legem naturalem constituere saepe dicuntur, satis a norma naturae integrae differunt. Lex naturalis, si ad hunc statum originalem referretur, certo magna ex parte hodie difformata et transmutata dici posset et deberet. Aliter, si ad naturam absolutam refertur: tunc enim status naturae cum integrae tum lapsae, vi legis naturalis absolutae et immutabilis et omni statui communis, propriam et in non paucis differentem normam moralem accipiunt; haec autem norma totam legem naturalem absolutam in se continet et in eius luce omnia elementa tali statui propria diiudicat. Unde est, quod lex moralis status naturae lapsae recte omnino lex naturalis, sed *secundaria*, dici potest et a theologis reapse dicitur; secundaria autem *relate* ad legem status naturae originalis, quae primaria dicenda est. In utraque autem lege, primaria et secundaria, lex naturalis absoluta sensu stricto *applicata* est. Si ergo tot leges et iura, quae ambitu legis et iuris naturalis contineri hodie dicuntur, valde differunt a legibus et iuribus status naturae originariae — cogita v. g. de iure belli, occisionis

malefactoris, cooperandi ad malum, et multis aliis —, in his non habetur difformatio legis naturalis absolutae, sed eius vera applicatio. Ipsa *natura* hominis ad imaginem Dei ab ipso Deo formata et per peccatum hominis non deformata, pro vario statu variam hanc applicationem exigit.

Illi quos in allocutione memorata Summus Pontifex alloquitur, non tam de lege naturae *lapsae* cogitant, quam *de lege a Christo data.* Notandum tamen est, hanc legem novam in se continere vel spectare ea, quae de lege status naturae lapsae diximus: quia est lex Redemptoris pro homine lapso. Deestne revera, ut quandoque auditur, *continuitas* inter legem naturalem et legem Christi? Estne haec tota quanta alia ab illa? *Primo,* quod *gratiam* quam Christus homini debilitato meruit, attinet: sicut lex naturalis sine sui ipsius deformatione debilitatem hominis lapsi spectat, huius normam moralem penetrans, ita etiam dicendum quoad robur, quod gratia Christi affert. Homo experitur vires naturae *debilitatas simul et gratia roboratas,* et secundum istam experientiam lex naturalis pro homine existente determinatur. *Secundo,* ceterae *realitates novae et supernaturales,* quibus existentia hominis a Christo redempti ditatur, utpote realitates *hominis,* sub luce et vi legis naturalis absolutae virtutem normativam habent. Quin singula enumeremus, hoc tamen innuere volumus: Quae Christus Dominus tamquam normam vitae hominis christiani exhibet, *non* sunt *contra* legem naturalem; sed vi legis naturalis nova realitas supernaturalis has normas exigit; aliis verbis: lex naturalis pro homine in

statu redemptionis viventis talem vitae normam exigit. Quod non tantum de praeceptis valet, sed etiam de consiliis evangelicis: ex ipsa enim natura hominis, respectu habito ad modum existendi christianorum (de quo ex revelatione scimus), paupertas et castitas perfecta et obedientia sunt revera per se de consilio. Tota eorum differentia a « naturali » modo sentiendi, de qua loquuntur, non refertur ad naturam absolutam. Ipse Dominus praeceptum maximum diligendi inimicos, quod disicpulos docet, non contra legem naturalem, sed contra modum cogitandi Iudaeorum, Gentium, peccatorum distinguit [10].

c) Non obstante distinctione omnino necessaria inter legem naturalem absolutam et legem naturalem ad statum determinatum applicatam, non tantum theologi et philosophi, sed et ipsa vox magisterii Ecclesiae has applicationes « legem naturalem » appellare consuevit. Si exinde lex moralis status naturae *lapsae*, naturalis, etsi secundaria, vocatur, hoc bene intelligi et iustificari potest. Nam naturam nostram ut sub sequelis peccati existentem *experimur;* immo, sine revelatione exacte sciri omnino non potest, quaenam elementa hominis, quae experimur, sint sequelae peccati. Quod de sequelis peccati, idem etiam de effectibus *gratiae* dicendum est [11]. Quae ergo non ex ipsa na-

---

10 Luc. 6, 32 ss; Mat. 5, 43-48.

11 Etiam — quod nostra hic non interest — independenter a diversis statibus oeconomiae salutis, variae circumstantiae alicuius spatii in historia temporum, immo et « situationis » individualis, efficiunt, ut natura « determinato modo concretizata » experiatur: unde respectiva norma moralis etiam naturalis, etsi

tura absoluta ut lex naturalis habentur, sed tantum ex respectu habito ad eius debilitatem, utique gratia roboratam, recte dici possunt lex *naturalis*, sed *relativa*. Quae relativitas, secundum ea, quae supra diximus, non dicit deformitatem a lege naturali absoluta, sed penetrationem legis moralis istius status « debilitatis gratia roboratae » per legem naturalem absolutam. Omnino autem inepte vocarentur lex « naturalis », etsi relativa, *illa* elementa legis moralis, pro ordine redemptionis, quae homo *non* ut modum existendi naturae suae *experitur*, de quibus e contra tantum ex revelatione notitiam habet. Ista simpliciter lex divino-positiva dicenda sunt, — v. g. obligatio confessionis sacramentalis. Vel etiam, si sine speciali Dei praecepto, ex essentia realitatis supernaturalis fluunt, bene vocari possunt lex « naturae supernaturalis » [12], — v. g. obligatio tendendi in finem supernaturalem ad exemplum Christi mortui et resuscitati. Patet autem omnes has leges, positivas quoque, a lege naturali penetrari et ita continuitatem cum ea servare.

3.) *Lex naturalis, supernaturaliter perfecta.*

a) Eo ipso quod lex naturalis absoluta omnem legem « totalem » alicuius status naturae penetrat, ipsa etiam ab elementis supernaturalibus penetratur et sic elevatur ac perficitur.

---

relativa, dici potest. Quod satis multi auctores hodie merito urgent contra tendentiam illorum, qui legem naturalem ad pauca principia generalissima restringere volunt.

12 Sic P. TISCHLEDER, in: J. MAUSBACH - P. TISCHLEDER, *Katholische Moraltheologie*, I: Die allgemeine Moral, Münster-Westf. (1941), 101-106.

Lex naturae, cum valorem suum in statu redemptionis servet, revera via est ad finem supernaturalem, modo christiano assequendum. Immo, ipsa obligatio legis naturalis, ex fine supernaturali et quacumque realitate supernaturali — ergo ex redemptione tum obiectiva tum subiectiva, ex sacramentis receptis, etc. — denuo fundamentum habet. Nam vocatio supernaturalis (et ideo « historica ») ad finem supernaturalem, ad Christum, ad vitam secundum significationem singulorum sacramentorum, etc., non est vocatio abstracta, sed — aliter esse non potest — vocatio *hominis;* est ergo vocatio nova etiam ad legem homini qua tali essentialem et intrinsecam. Tamen vocatio haec nova ad legem naturalem fit propter hoc, ut observatio eius sit medium ad finem in Christo supernaturalem. Iste autem finis prorsus excedit naturam et vim legis naturae. Unde dicendum est legem naturalem in statu hominis supernaturali esse super seipsam elevatam, habere significationem et plenitudinem, quae sibi ex sese non competit.

Nec affirmandum videtur hanc plenitudinem et significationem manere prorsus nominalem et extrinsecam. Nam ut lex naturalis sit revera via ad finem supernaturalem christianum, non sufficit mera huius legis impletio, sed insuper requiritur, ut homo, legem naturalem observans, finem ultimum intendat, appetat, atque vitam finalem supernaturalem iam nunc per vitam in gratia et caritate supernaturali ducendam inchoet. Haec autem vita in gratia et caritate, appetens finem supernaturalem, non est aliquid *praeter* observationem

legis naturalis, quae *etiam* requiritur; sed ipsa observatio legis naturalis fit *expressio et mediatio* huius vitae caritatis et tendentiae in finem supernaturalem. Immo, Deus opera legis naturalis non accipiet in meritum vitae aeternae, nisi sint caritatis et tendentiae in finem supernaturalem expressio, mediatio, participatio. (Quibus verbis iam insinuatur solutio quaedam quaestionis discussae, quomodo caritas possit ac debeat esse forma virtutum: quae tamen hoc loco non videtur amplius explananda [13]). Concrete ergo, in nostro ordine salutis, lex naturae obiective significationem et valorem habet maiorem ea, quae ei abstracte, ratione sui, propria sunt. Unde etiam qui non est in gratia et caritate, si legem naturalem observat, opus ponit, quod nunc obiective aptum est ad conducendum ad praemium vitae aeternae, etsi de facto, propter modum inadaequatum impletionis, ad finem non conducat.

b) Neque obliviscendum est, quod lex naturalis, sicut *quoscumque* hominis status historicos penetrat, ita et ipsa *pro diversitate* horum statuum *diversimode* penetratur, elevatur, perficitur. Iam *in statu originali* paradisi, lex naturalis implenda erat ut expressio caritatis supernaturalis et tendentiae in finem ultimum supernaturalem. *In statu peccati,* fine supernaturali permanente, potest esse expressio spei in redemptionem a Deo promissam, et modus se aperiendi isti redemptio-

---

[13] Cfr. G. Gilleman S. I., *Le Primat de la Charité.* Essai méthodologique, Louvain 1952. - O. Lottin O. S. B., *Morale fondamentale* (Bibl. de Théol. II, I), Tournai 1954, 514-518.

ni, quae ut gratia a Deo solo concedi potest; haec autem spes ac intentio et earum expressio per per impletionem legis naturalis, a Deo praeceptive ut via ad finem assequendum exiguntur. Concilium iam Arelatense[14] docuit per legem naturalem, quam Deus in omnium cordibus secundum Apostolum scripsit, homines salvatos fuisse etiam ante legem Moysis et adventum Christi: tamen « in adventum Christi », « in spe adventus Christi ». Pro homine autem *redempto et iustificato* iterum valent, quae de statu originali diximus. Nihilominus differentia quaedam notanda est, inquantum iustificatio nunc habetur per opus redemptorium Christi. Caritas Dei supernaturalis nunc habet modum fidelitatis erga Christum et imitationis ipsius, habet etiam modum specialem secundum significationem propriam uniuscuiusque sacramenti, quo homo Deo et Christo unitur. Haec autem omnia non tantum actibus explicite religiosis, sed tota vita christiana, et ideo etiam impletione legis naturalis, exercentur. Lex ergo naturalis est eorum vera et obligatoria expressio et mediatio; est opus quoddam musivum, mediis ex sese naturalibus vitam vere supernaturalem christianorum — etsi inadaequate — exprimens. Quod mirum non est, cum et ipse Christus sit verus homo, etsi non homo tantum.

c) Unde consequitur — quod brevissime innuere volumus — *institutiones* quoque iuris naturalis in ordine supernaturali redemptionis christia-

---

14 Denzinger 160 a. b. Ad quae conferantur, quae Pius PP. IX. scripsit in litteris encyclicis « Quanto conficiamur moerore », Denzinger 1677.

nae novum sensum accipere, quin deformetur sensus eorum mere naturalis. Ordo servatus institutorum naturalium — matrimonii, familiae, status — de facto inservit fini hominis supernaturali christiano. Quod servitium etiam illi praestant, qui — ut boni coniuges, supremi rerum publicarum moderatores, etc. — de hoc fine assequendo non curant vel etiam illum ignorant. Insuper, quia redemptio christiana operatur in societate Ecclesiastica visibili, consequentiae quoad relationem externam harum institutionum naturalium ad Ecclesiam non deerunt.

* * *

Quae quidem pergratum est nunc iterum commemorare, marialis dum volvitur annus, cum singulare Immaculati Conceptus Beatissimae Virginis Mariae privilegium centenaria celebratione recolentes, mentem animumque Nostrum ad Lapurdum convertimus ubi, quarto labente anno a definito dogmate, ipsamet Immaculata Virgo Supremi Magistri oraculum conspectibus, alloquiis et miraculis divinitus comprobavit.

Romani Pontificis animi anxietas.

Non exigua, tamen, afficimur animi anxietate cum peculiares quasdam rei religiosae condiciones in Gallia Nobiscum consideramus, quae anteactis quoque temporibus Decessorum Nostrorum animum vehementer commoverunt. Meminisse hac in re satis est immortalis memoriae Decessores Nostros Leonem XIII et Pium X, quem quidem summa Nostra laetitia universoque plaudente catholico orbe Sanctorum catalogo nuper adscripsimus.

Summi hi Pontifices pluribus documentis, iisque celeberrimis, sacrorum Galliae administros amplissime collaudarunt ob navam eorumdem sollertiam in bonum animorum tunc praesertim impensam, cum gravibus Ecclesiae premeretur difficultatibus nefariisque afficeretur angustiis.

Ne vero constantia, ne virtus in tuendis Ecclesiae iuribus ullo modo deficerent, ne quis fidelium, praeterea, a recto declinaret, plena sapien-

tiae et gravitatis consilia Sacris Galliae Pastoribus praefati Summi Pontifices tradiderunt, quae et in praesentibus rerum adiunctis maximi sunt momenti.

Paterna Leonis XIII ad Galliae sacerdotes monita commemorantur.

Placet hic Nobis commemorare paterna monita quae felicis recordationis Leo XIII Litteris die VIII mensis Septembris anno MDCCCIC datis, vernacula lingua conscriptis, ad Gallicos sacerdotes humani consortii utilitatibus consulentes, sapientissime dedit [1]. Neque silentio praeterire possumus exhortationes, quas sanctissimus Romanus Antistes Pius X, instaurare omnia in Christo percupiens, ad Galliae Archiepiscopos et Episcopos, in alterum Conventum dioecesanis missionibus provehendis congregatos, quasi praesagienti animo scribebat:

« ... ne desint vobis paternae caritatis Nostrae hortamenta, quibus, ut confidimus, studia vestra acrius excitentur in ea quae ad incrementum divinae gloriae atque animarum salutem patent coepta uberrima ... Haec igitur antiquissima sit vobis cura, apostolicorum virorum qui id obeant muneris ita augere copiam ut nulla sit in dioecesibus vestris paroecia quae eorumdem ministerium nimis diu desideret. Nescii equidem haud sumus minime deesse in Gallia viros qui, ad exemplum Apostolorum, orationi ac ministerio verbi instantes, in consummationem sanctorum toti sunt atque in aedificationem corporis Christi. Sed impar, probe nostis, eorum numerus paroeciis omnibus pera-

Pii X ad illius nationis Archiepiscopos et Episcopos hortamenta.

1 LEO Pp. XIII, Epistola Encyclica, ad Galliae Episcopos, de clericorum educatione, *Depuis le jour*, 8 Septembris 1899, *Leonis XIII Pontificis Maximi Acta*, XIX, 157, Romae, ex Typographia Vaticana 1899.

grandis, iisdemque evangelica instituendis disciplina. Quare hoc etiam pastorali navitati vestrae maxime commendatum volumus, ut scilicet unaquaeque dioecesis illud tam salutare tamque expetitum *opus dioecesanis Missionariis efformandis edendis* rite constitutum habeat, et omni, ut par est, instructum pietatis doctrinaeque adiumento. Propositum equidem difficultatibus non vacat, hinc a sacerdotum, inde a rerum inopia petitis. Sed haud vos praeterit opus de quo loquimur tantae esse utilitatis excolendis ad pietatem animis, ut prae ceteris piis operibus sit vobis fovendum ... »[2].

Quominus tamen Summi Pontificis monita, ut erat in votis, omnino ad rem adducerentur, prohibuerunt rerum difficultates, temporum hominumque nequitia, aucta clericorum penuria, aliaeque haud paucae gravesque causae.

Haud pauci eorum qui in fabricis, in officinis et in agris ex cotidiana opera vivunt ad unum Christi ovile cito adducantur oportet.

Quapropter et in praesens moerentes conspicimus ac summopere dolemus haud paucos homines, inter eos praesertim qui in fabricis, in officinis et in agris ex cotidiana opera vivunt, materialistarum placitis deceptos, a christianae vitae institutis et moribus fere defecisse.

At incaute aberrantes hae oves ad unum Christi ovile cito adducantur oportet.

Tanta in re praecipuus versabitur labor sacrorum administrorum, qui ad huiusmodi quasi missionale ministerium parati sint et idonei; quique debita scientia ac virtute praestantes et convenienter imbuti rei socialis principiis a Nobis et a Decessoribus Nostris multimodis et aperte

---

2 *A. A. S.*, III (a. 1911), p. 268.

traditis, terrenis rebus omnino posthabitis, celso huic apostolatus muneri toto animo se dedant.

Nos equidem non effugit quanta, in re, egerint, quanta sustinuerint Venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi Galliae, quorum pastoralem sollertiam, hanc nacti occasionem, ex animo gratulamur. Ipsi enim, quamvis ex consulto a prascis sacri ministerii normis probatisque apostolatus rationibus non recedant, novis tamen aptisque remediis ac subsidiis uti contendunt, et ardua varii generis experiuntur incoepta, hodiernae vitae moribus temporumque necessitatibus melius accommodata.

S. P. non effugit quanta in re egerint, quanta sustinuerint Archiepiscopi et Episcopi Galliae.

His de causis pia clericorum consociatio *Missio Galliae* nuncupata, a Patrum Cardinalium et Archiepiscoporum eiusdem Nationis Coetu promota, paucos ante annos in Gallia fuit erecta secundum eam formulam, quam Sacrae Romanae Congregationes, pro sua quaeque competentia, ad experimentum probaverunt, facta una simul eidem Missioni facultate clericos aggregandi et peculiari titulo « Missionis Galliae » ad sacros ordines promovendi.

His de causis Antistitum coetus « Missionem Gallia » promovit et erexit.

Haud leves exinde collecti bonorum operum fructus, etsi brevi intercedente temporis intervallo, utilitatem Missionis probant; experientia vero necessitatem suadet firmioris constituendae iuridicae ordinationis, quae iuris communis legibus ac principiis pressius respondeat, unde ecclesiasticae omnes institutiones suam repetunt firmitatem suumque profectum.

Cum probata « Missionis » utilitate et firmiore iuridica constitutione indigeat,

Quod quidem cum iidem Venerabiles supra memorati in episcopatu Fratres, Nobis et huic

Apostolicae Sedi addictissimi, supplicibus litteris nuper expostulavissent, ne quid a Nobis desideraretur quod ad pleniorem Clericorum disciplinam et animorum salutem comparandam praestare valeamus, huiusmodi negotium tractandum commisimus Sacrae Nostrae Congregationi Consistoriali.

S. P. preces Em.mi Praesidis Commissionis Episcopalis Galliae admittens, re a S. C. Consistoriali tractata,

Consilium autem a Venerabili Fratre Nostro Adeodato Ioanne S. R. E. Cardinali Piazza, Episcopo Sabinensi et Mandelensi, eiusdem Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, ad Nos prolatum, consociationem nempe Cleri saecularis, quae *Missio Galliae* nuncupatur, in *Praelaturam nullius* erigendi et constituendi, cum proprio territorio proprioque Praelato Ordinario, Nos, re mature perpensa, id adprobavimus et ad effectum deducendum decrevimus.

Missionem Galliae in *Praelaturam nullius* erigit et constituit.

Ideoque, benigne admittentes preces Nobis exhibitas a Dilecto Filio Nostro Achilleo S. R. E. Cardinali Liénart, Episcopo Insulensi, Consilii seu *Commissionis* Episcopalis Missioni Galliae moderandae Praeside, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Pauli Marella, Archiepiscopi titulo Docleensis, Nostri in Gallia Nuntii, ac de consensu Venerabilis Fratris Friderici Eduardi Camilli Lamy, Archiepiscopi Senonensis, aliorumque consensum supplentes, qui in huiusmodi negotio aliquid iuris habeant vel habere praesumant, multum percupientes, ut hoc bonum, felix faustumque sit et animorum saluti et Missioni Galliae benevertat, ea quae sequuntur Apostolica auctoritate Nostra decernimus et mandamus.

I

Territorium quod est in Archiedioecesi Senonensi quodque paroeciam vulgo *Pontigny* constituit, praesentibus circumscriptum finibus, prout in adnexo folio describitur, * una cum sua ecclesia continentibusque aedibus — olim Sacri Ordinis Cisterciensis insigni Pontiniacensi Abbatia, quae rerum gestarum memoria necnon Sanctorum Virorum exemplis fuit illustris — a iurisdictione Ordinarii Senonensis distrahimus, et iurisdictioni Praelati Missionis Galliae, ad nutum Sanctae Sedis, submittimus, suspensa, hac ratione, qualibet memorati Ordinarii Senonensis in idem territorium potestate, ita ut posthac Missio Galliae considerari queat ac valeat instar Praelaturae Nullius dioeceseos.

II

Missio Galliae sic erecta et constituta ad normam can. 319, § 2 C. I. C. normis iuris communis regitur, salvis propriae legis statutis.

III

§ 1. Territorium Missionis, parvum quidem et certis limitibus circumscriptum, principem ipsius Missionis domum comprehendet una cum ecclesia et continentibus aedibus.

§ 2. In hoc autem territorio Missio Galliae habere potest, iuxta sacrorum canonum praescrip-

---

* V. pag. 571.

ta, Seminarium seu Collegium ad normas datas a Sacra Congregatione Seminariis et Universitatibus studiorum praeposita moderandum, in quo certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur.

IV

§ 1. Praelatus Missionis nominatur atque instituitur a Romano Pontifice, ad normam can. 320 § 1 C. I. C.

§ 2. Praelatus Missionis eligitur inter Sacros Antistites cooptatos in Missionis Galliae Episcopalem *Commissionem*, quae a Patrum Cardinalium et Archiepiscoporum Galliae Coetu stabiliter est constituta.

§ 3. Praelatus Missionis eiusdem Episcopalis *Commissionis* Praeses erit.

V

§ 1. Praelati Missionis ius est clericum incardinandi ad normam canonum 111 § 2 et 112 C. I. C., ceterisque servatis de iure servandis.

§ 2. Pariterque ipsius Praelati ius est clericum ad sacros ordines promovendi titulo Missionis Galliae.

§ 3. Praelatus Missionis congruae sustentationi uniuscuiusque presbyteri, quem promoverit titulo Missionis Galliae, consulere debet.

VI

§ 1. Unusquisque sacerdos, Missioni adscriptus, ut a Praelato Missionis ad aliquam dioecesim

mitti vel ex alia ad aliam dioecesim, in perpetuum aut ad prorogabile tempus, transire possit, ad tramitem iuris indiget consensu Episcopi *ad quem.*

§ 2. Sacerdos Missionis a proprio, quo fungitur, in aliqua dioecesi munere amoveri potest, ad normam can. 454 § 5 C. I. C.

VII

Unusquisque Missionis sacerdos in exercenda animarum cura extra saepta Missionis vel in quolibet perfungendo munere, sibi ab Ordinario loci commissio, plene subiacet eiusdem auctoritati nullaque fruitur ab Ordinario loci exemptione.

VIII

§ 1. Praelatus Ordinarius, non sine tamen Apostolicae Sedis auctoritate et venia, Vicarium Generalem constituere debet.

§ 2. Vicarius Generalis eligendus est sacerdos, qualibet alia officiorum cura expeditus.

§ 3. Vicario Generali sic constituto omnes facultates competunt, quae huic muneri, ad normam iuris communis, sunt propriae necnon ceterae quae peculiaris Missionis lex eidem tribuit.

§ 4. Vicarius Generalis in territorio Missionis habitualiter residere debet et assidue ac probe meliori eiusdem regimini una cum Praelato consulere, non solum intra Missionis saepta sed etiam, sartis tectisque iuris communis legibus, extra territorium Missionis proprium, in moderandis vigilanti studio Missionis alumnis qui in variis dioe-

cesibus, sub Ordinariorum locorum iurisdictione, curam animorum aliave ecclesiastica officia gerunt.

IX

Firmo praescripto can. 340 C. I. C., quo Praelatus Ordinarius singulis quinquenniis relationem Summo Pontifici facere tenetur super statu Missionis sibi commissae secundum formulam ab Apostolica Sede datam, singulis insuper annis de statu materiali et spirituali Missionis deque observantia ecclesiasticae disciplinae Praelatus relationem conficiet Sacrae Congregationi Consistoriali exhibendam.

X

§ 1. Ut aliqua Missionis domus extra Missionis territorium erigi queat, requiritur Ordinarii loci consensus in scriptis datus.

§ 2. Erecta Missionis domus nulla pollet ab Ordinario loci exemptione.

XI

Vacante Praelatura, qui senior est inter *Commissionis* Episcopalis Antistites Missionem regit atque administrat omnibus instructus facultatibus quae Praelato Missionis competunt.

Haec postquam Ecclesiae maiori usque utilitati et decori consulentes, statuimus, multa prece omnipotentis Dei imploramus auxilia, ut quilibet huius Christi militiae miles expectationis Nostrae votis respondens, eximius religionis et pietatis cultor, sit « quasi ignis effulgens et thus ardens in

igne » (Eccli, 50, 9): itemque ut eius industria et opera, qua quaerat non sua, sed ea quae sunt Christi, pax renideat; ubi sunt odia, socialis effloreat amor, ubi dubitatio excruciat, fides soletur; denique ubi est rerum desperatio, sancta spes redeat.

Quae autem Litteris apostolica auctoritate a Nobis decreta sunt, nulli hominum, nullo unquam tempore ac quacumque de causa, infringere aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis vero, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat se obnoxium evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis. Hisce omnibus, ut supra, confirmatis ac constitutis, ad eadem exsequenda deputamus Venerabilem Fratrem Paulum Marella, Archiepiscopum Docleensem, Nostrum in Gallia Nuntium, eidem tribuentes facultates opportunas opportunas et necessarias, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, ac definitive sententiam dicendi de quavis difficultate vel oppositione in exsecutione actus quomodolibet oritura, imposito onere ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses transmittendi authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Volumus insuper ut harum Litterarum exemplis, transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem omnino tribuatur fides in iudicio et

extra illud, quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras, contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum ex Arce Gandulfi, apud Romam, anno Domini millesimo mongentesimo quinquagesimo quarto, die decima octava Kalendas Septembris, in festo B. M. Virginis in coelum Assumptae, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

PIUS PP. XII

6 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

DECRETUM

(*AAS.* XXXXVII [28 ian. 1955] p. 46)

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 16 Martii 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Marc Oraison, Docteur en Théologie, Docteur en Médicine, *Vie chrétienne et problèmes de la sexualité,* P. Lethielleux, Paris, 1952.

Et feria IV, die 3 Aprilis 1953, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Sancti Officii concessa,

relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et confirmavit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 3 Ianuarii 1955.

MARIUS CROVINI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

7 - Sacra Congregatio Rituum

(*AAS.* XXXXVII [28 ian. 1955] p. 48)

DECRETUM

DE INSTAURATAE VIGILIAE PASCHALIS FACULTATIVA CELEBRATIONE ULTERIUS PROPAGANDA.

Instauratae Vigiliae Paschalis celebratio, de locorum Ordinariorum iudicio facultative exsequenda, iam per decretum diei 12 Ianuarii anni 1952 per triennium concessa, attentis peculiaribus rerum adiunctis, de mandato Sanctissimi D. N. Pii Papae XII ulterius ad alium annum prorogatur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 15 Ianuarii 1955.

C. Card. CICOGNANI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius*

8 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

DECRETUM

RECITATIO IN FAMILIA BEATAE MARIAE VIRGINIS ROSARII NOVIS INDULGENTIIS DITATUR.

Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore die 11 Octobris 1954 habita, preces quorumdam Sacrorum Antistitum libenter excipiens, « ut domesticus convictus inviolata fide eniteat »[1], praeter iam elargitam partialem decem annorum Indulgentiam semel quovis die necnon plenariam bis in mense acquirendam pro Beatae Mariae Virginis Rosarii in familia recitatione[2], benigne concedere dignatus est in fidelium favorem, qui tertiam Beatae Mariae Virginis Rosarii partem in familia per hebdomadam quotidie recitaverint, Indulgentiam plenariam lucrandam quolibet sabbato et praeterea duobus aliis diebus in hebdomada, ac insuper in singulis eiusdem Deiparae Virginis festis quae in calendario universali reperiuntur[3], dummodo rite confessi Eucharisti-

---

[1] Litt. Encycl. *Fulgens Corona.*

[2] Enchiridion Indulgentiarum, ed. 1952, n. 395 *b*).

[3] Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Apparitionis B. M. V. Lapurdensis, Annuntiationibus, Septem Dolorum (feria VI post Dominicam Passionis), Visitationis, B. M. V. de Monte Carmelo, B. M. V. ad Nives, Assumptionis, eiusdem B. M. V. Immaculati Cordis, Nativitatis, SS. Nominis, Septem Dolorum (15 Septembris), B. M. V. a Mercede, SS. Rosarii, Maternitatis, Praesentationis.

cam Mensam participaverint. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae Apostolicae, die 11 Octobris, in festo Maternitatis Beatae Mariae Virginis, 1954.

N. Card. Canali, *Paenitentiarius Maior*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens*

9 - Secretaria Status

(*AAS.* XXXXVI [18 nov. 1954] p. 614)

RESCRIPTUM PONTIFICIUM

De causis matrimonii, quae a tribunalibus ecclesiasticis regionalibus Italiae in primo gradu tractatae fuerunt ac de institutione tribunalis appellationis in Vicariatu Urbis.

Per Apostolicas Litteras *Qua cura,* die 8 mensis Decembris anno 1938 Motu proprio datas (*A. A. S.,* vol. XXX, 1938, p. 410 ss.), Pius XI fel. rec. rite diiudicandis causis matrimonialibus, quae ad Ecclesiae forum in Italia exclusive spectant, pastorali pro sua sollicitudine prospiciens, Tribunalia regionalia in unaquaque Regione Conciliari seu Ecclesiastica constitui iussit.

Quibus quidem Apostolicis Litteris, etsi eaedem causae in gradu appellationis memoratis Tribunalibus — ordine ibidem statuto — tractandae

assignabantur, facultas tamen directe provocandi ad Sacram Romanam Rotam ex praescripto can. 1599, § 1, 1° Codicis iuris canonici dempta non est.

Recentissimis vero annis hae causae, a Tribunalibus regionibus in prima instantia cognitae, tanta frequentia deferri consueverunt Tribunali Apostolico Sacrae Romanae Rotae, ut hoc suo muneri explendo, quemadmodum oportet, difficulter par sit.

Res, ut de ea provide consuleretur, Augusto Pontifici per Sacrae Romanae Rotae Decanum tempore dato significata est.

Itaque Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII, votis eiusdem Decani concedens, in Audientia die 16 mensis Octobris anno 1954 infra scripto Prosecretario Status concessa, decernere dignatus est:

a) Ut suspendatur *ad tempus* canon 1599, § 1, 1° Codicis iuris canonici pro causis nullitatis matrimonii, quae a Tribunalibus Ecclesiasticis regionibus Italiae in primo gradu iudicatae fuerunt.

Quapropter causae nullitatis matrimonii in prima instantia tractatae apud Tribunalia regionalia Italiae, in gradu appellationis deferendae sunt, non ad Sacram Romanam Rotam, sed tantum ad Tribunal designatum in Apostolicis Litteris *Qua cura,* I.

Pro tertia instantia servetur canon. 1599, § 1, 2°.

b) Ut in Vicariatu Urbis constituatur, a Tribunali primae instantiae distinctum, Tribunal appellationis, ad quod in secundo gradu semper deferendae sunt tum causae, quae in prima instan-

tia diiudicatae fuerunt apud Tribunal primae instantiae Vicariatus Urbis, tum causae Neapolitanae et Calaritanae delatae in gradu appellationis ad Vicariatum Urbis vi Apostolicarum Litterarum *Qua cura*, II.

Pro iudicandis iisdem causis in tertia et ulteriore instantia servetur canon 1599, § 1, 2°.

Officialis, iudices, promotor iustitiae, et defensor vinculi Tribunalis appellationis in Vicariatu Urbis ab Ipso Summo Pontifice, proponente E.mo Cardinalis Urbis Vicario, nominabuntur.

Haec autem decreta, quae a memorato die vim suam exserunt, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII Decano S. R. Rotae mandatum dedit communicandi cum Tribunalibus de quibus agitur.

E Secretaria Status Sanctitatis Suae, die 16 mensis Octobris anno 1954.

I. B. Montini
Prosecretarius Status pro Ordinariis Ecclesiae Negotiis

L. ✠ S.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE VOTO CASTITATIS CLERICORUM SAECULARIUM

RELATIO THEOLOGICO-CANONICA

In Litteris Encyclicis: « Sacra virginitas » Pii XII [1]. concipitur *status virginitatis* tamquam status castitatis perfectae Deo dicatae [2]. In hoc statu virginitatis versantur etiam — secundum has

---

1 Acta Apostolicae Sedis, 1954, 161-191.

2 « Maior est, quam ut dinumerari possit multitudo eorum qui, ab Ecclesiae initiis ad nostra usque tempora, suam castitatem Deo obtulerunt, alii quidem illibatam suam virginitatem conservando, alii vero, coniuge defuncto, perpetuam virginitatem eidem consecrando, alii denique, suorum peccatorum paenitentes, vitam omnino castam eligendo; omnes autem eodem concordi proposito praestantes, nempe in perpetuum a carnis delectationibus propter Deum abstinendi. Quod igitur Sancti Patres de virginitatis gloria et merito praedicarunt, his omnibus invitatio, firmamentum ac robur sit ... » Ibidem, 162 s. Proinde ab elemento materiali, scl. ab integritate corporis, abstrahitur; virginitas ad mentem Ecclesiae antiquae habetur tamquam castitas perpetua Deo dicata. Quoad requisitam consecrationem pro Deo dicitur: « Inde a prisca Ecclesiae aetate virginitatem (Sancti Patres) reputarunt corporis animique consecrationem Deo delatam ... ' Nec nos hoc in virginibus praedicamus quod virgines sunt, sed quod Deo dicatae pia continentia virgines '. (St. Augustinus) » Ibidem, 165.

Litteras Encyclicas — clerici in sacris, quatenus clerici in sacris caelibatum servare tenentur [3]. Proinde caelibatus non potest concipi tamquam aliquid mere negativum, scl. tamquam renuntiatio matrimonii etsi coniuncta cum castitate servata; requiritur potius renuntiatio matrimonii et castitas perfecta *propter regnum caelorum*, propter Deum; requiritur renuntiatio matrimonii ordinata ad consecrationem hominis pro Deo. Hinc vocatio ad sacerdotium includit vocationem ad statum virginitatis, quae ex parte Dei vocantis est speciale donum, non omnibus datum, sed tantum illis, qui verbum istud capiunt. (Matth. 19, 11) [4].

I. De relatione theologica inter sacerdotium et virginitatem [5].

Vocationem ad virginitatem Ecclesia in ministris ordinandis supponit propter summam con-

---

[3] Quando virginitas et caelibatus distinguuntur tamquam duae formae status castitatis Deo dicatae — e. g. can. 10 sess. XXIV. Conc. Trid. (Dz. 981.) — virginitas intelligitur tamquam castitas inviolata, dum caelibatus inviolatam castitatem non necessario supponat. Potest etiam intelligi virginitas castitas Deo dicata mulieris, caelibatus castitas Deo dicata viri. In praefatis Litteris Encyclicis tales distinctiones non habentur; cf. textus citatos in nota 2.

[4] « Verumtamen, etsi Deo dicata castitas ardua virtus est, eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Jesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam, cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capessierint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi possint ». Pius XII. l. c. 181.

[5] Cf. auctoris articulum: Priestertum, Jungfräulichkeit und Keuschheitsgelübde in ihren theologischen Beziehungen, parte 1.

venientiam, qua officium sacerdotis statum virginitatis exigit.

Christo Domino, summo sacerdoti Novi Testamenti, competebat munus reducendi homines ad Deum, ad Deum visione beatifica possidendum. Hinc ipse iam in hac vita mortali non erat tantum viator, sed iam erat in statu comprehensoris; tamquam homo gaudebat Dei visione beatifica; nam oportebat illum esse ibi, quo alios perducere voluisset [6].

Hoc suum munus mediatoris inter Deum et homines Christus Dominus praesertim adimplevit oblatione vitae suae sacrificio Crucis. Homines enim peccato a Deo erant separati; satisfactio Deo erat tribuenda pro offensa, ut satisfactione acceptata homines ad Deum redire et unionem cum Deo habere potuissent.

Proinde ex munere Christi Domini reducendi homines ad Deum determinatur « status » eius — ipse est non tantum viator, sed in hac vita iam

---

et 3. (Geist und Leben, 1955 95 ss., 102 ss.), ubi haec fusius exponuntur.

[6] « Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem, ... et ideo oportuit, quod cognitio beata in Dei visione consistens, excellentissime Christo homini conveniret: quia semper causam oportet esse potiorem causato ». S. Th. III. q. IX, a. 2. « Der Mensch Jesus Christus als Mittler zwischen uns und Gott war bestimmt, die Menschen zur Anschauung Gottes zu führen ... So musste er also in dieser (in humanitate sua) vor allem selbst das ewige Leben in vollkommenster Weise besitzen ... So geziemte es sich, dass er, der uns das ewige Leben erwarb, damals, als er es uns erwarb, selbst im Besitze desselben war ». *J. Kleutgen,* Die Theologie der Vorzeit, 3. Band, Münster, 1870, 279 s.

est comprehensor — et modus, quo hoc munus implendum est — per sacrificium Crucis.

Sacerdotes Ecclesiae participant in sacerdotio Christi Domini. Ex munere sacerdotis Ecclesiae determinatur — sicuti pro Christo Domino — status eius et modus, quo munus eius implendum est.

Sacerdoti Ecclesiae munus competit perducendi homines ad Deum, ad illam cum Deo unionem, qua visio beatifica alterius vitae iam in hac vita inchoatur, ad unionem cum Deo in caritate supernaturali. Iamvero oportet sacerdotem esse ibi, quo alios perducere velit. Proinde oportet sacerdotem esse coniunctum Deo quam maxime in caritate supernaturali.

Sacerdos igitur non potest amorem suum dividere inter Deum et hominem; sacerdos omnem amorem cordis sui Deo exclusive tribuere, oblatione integra se Deo dedicare debet. Illis, quos ad Deum perducere velit, in vita sacerdotis fulgere debet splendor amoris indivisi et exclusivi, oblationis ac dedicationis integrae ad Dominum.

Status virginitatis consistit in tali *amore indiviso et exclusivo, in tali oblatione ac dedicatione integra ad Dominum.* Nequaquam quidem matrimonium est adversus caritatem divinam, cum ipse Deus matrimonium instituerit et Christus Dominus illud ad dignitatem sacramenti elevaverit. Attamen matrimonium natura sua exigit divisionem amoris cordis inter Deum et hominem, quod autem non excludit matrimonium esse inter bona humana quam maximi valoris. Proinde renuntiatio matrimonii est renuntiatio boni magni valoris

pro homine. Inde susceptio status virginitatis supponit agnitionem matrimonii tamquam boni magni valoris pro homine, ita ut renuntiatio huius boni non habeat characterem renuntiationis alicuius rei, quae consideratur fere tamquam indigna homine; potius renuntiatio matrimonii debet habere characterem renuntiationis boni magni valoris qua talis omnino agniti, ita ut haec renuntiatio fiat propter bonum *maioris* valoris, propter vocationem ad statum perfectiorem, propter invitationem divinam ad amorem Domini exclusivum et indivisum.

Cum perfectio specifica virginitatis consistat in hoc amore indiviso et exclusivo, in hac oblatione ac dedicatione integra ad Dominum, renuntiatio qua talis matrimonii nihil continet specialis perfectionis. Specialis perfectio huic renuntiationi convenit in tantum, in quantum se elevat ad dedicationem integram ad Dominum. Ratione huius oblationis ac dedicationis integrae ad Dominum virginitati specialis perfectio convenit, quia sine dubio coram Deo reservatio amoris cordis exclusiva pro Domino habet valorem maiorem quam divisio amoris cordis inter Deum et hominem.

Verum quidem est etiam matrimonium esse medium quo homo ad finem suum, ad Deum, pervenire potest. Attamen matrimonium natura sua immediate ad hominem ducit, et demum mediante homine ad Deum. Status virginitatis autem natura sua, *qua status,* est ordinatus ad unionem cum Deo in caritate.

Neque tamen, ex altera parte, homo in statu virginitatis vivens eo ipso est perfectior, i. e. ma-

gis Deo unitus, aliis. Perfectior est ille, qui maiorem habet caritatem, qui magis caritate Dei et proximi totam suam vitam informat. Attamen, quia status virginitatis natura sua est perfectior statu matrimonii ex ordinatione quam habet ad caritatem divinam, revera homo in statu virginitatis vivens, in quantum virginitatem vere vivit, in tantum Deo unitur. Dominus enim vocando hominem ad virginitatem eum vocat, ut sit « cum illo » (Marc. 3, 14), ut sit illi coniunctus connubio spirituali et supernaturali. Sicuti in matrimonio terrestri sponsa se devovet sponso usque ad mortem, ita homo, qui virginitatem eligit, se devovet Domino in perpetuum. Sicuti sponsa amorem suum soli sponso reservat, ita homo in virginitate vivens amorem suum indivisum Domino exclusive reservat.

Proinde sacerdotis Ecclesiae munus perducendi homines ad Deum summa convenientia exigit statum virginitatis, quatenus virginitate sacerdos Domino quam maxime unitur unione caritatis supernaturalis, ad quam homines perducere velit.

Cum Christus Dominus munus suum reducendi homines ad Deum adimpleverit praesertim oblatione vitae suae sacrificio Crucis, etiam sacerdos Christi, sacerdos Ecclesiae munus suum perducendi homines ad Deum adimplere potest tantum in signo Crucis. Ita sacerdos ab Ecclesia deputatur imprimis ad sacrificium Crucis renovandum in sacrificio eucharistico. In sacrificio eucharistico Christus Dominus simul est offerens et oblatus. Sacerdos Christi Christum in oblatione sacrificii eucharistici repraesentans hanc repraesentationem

eo perfectius peragit quo magis Christum repraesentat non tantum offerentem, sed etiam *oblatum,* si cum Domino seipsum Deo Patri offert oblatione integra suiipsius.

Sacerdos non potest magis convenienter se offerre Deo Patri oblatione integra suiipsius nisi per susceptionem virginitatis. Virginitas enim qua status consistit in perpetua participatione in Cruce Domini, quatenus virginitas natura sua requirit sacrificium perpetuum. Suscipiendo enim statum virginitatis homo renuntiat perfectione naturali, quam in matrimonio per coniugem habere possit. Perfectionem suam a Domino exspectat, cui se tradidit oblatione ac dedicatione integra. Attamen unio cum Deo in hac vita, quamvis non raro consolatione sensibili non careat, de se manet unio in fide et in spe, non iam est possessio Dei immediata et perfecta, qualis erit in visione beatifica alterius vitae. Participat igitur haec unio caritatis cum Deo in obscuritate fidei propria, quatenus in homine, qui virginitatem elegit, manet tendentia naturae in perfectionem naturalem, in familiam propriam. Renuntiatio horum bonorum naturalium magni valoris, quin iam habeatur possessio Dei visionis beatificae, natura sentit tamquam rem arduam et duram; immo virginitas proprie consistit in abnegatione et renuntiatione perfectionis naturalis in matrimonio et in familia propria habendae propter bonum maioris valoris, i. e. propter Deum, *quamvis habeatur* in homine caelibe tendentia naturalis in matrimonium et in familiam propriam sicuti in quovis alio homine.

Proinde status virginitatis est status sacrifi-

cii perpetui. Etsi enim etiam matrimonio sacrificia non desunt, tamen matrimonium natura sua non ordinatur ad sacrificium, sed ad perfectionem naturalem tendentiae naturalis; e contra status virginitatis qua *status* requirit renuntiationem huius perfectionis naturalis. Virginitas qua status ordinatur in sacrificium, in participationem perpetuam in Cruce Christi Domini. Non igitur sine causa SS. Patres virginitatem habent martyrium incruentum.

Quae cum ita sint, deputatio sacerdotis Christi ad offerendum sacrificium eucharisticum summa convenientia exigit statum virginitatis, quatenus repraesentatio perfecta Christi sacerdotis et hostiae in oblatione sacrificii eucharistici non habetur, nisi cum sacrificio Christi Domini sacrificium personale sacerdotis — oblatio vitae eius per virginitatem — uniatur.

Conclusio: *Sacerdotium Novi Testamenti exigit*[6a] *statum virginitatis, quatenus officio sacerdotis perducendi homines ad unionem supernaturalem cum Deo, necnon modo quo implendum est hoc officium — per participationem in sacrificio Crucis — susceptio status virginitatis quam maxime congruit.*

[6a] Hinc Pius XI. praxim Ecclesiae Orientalis non sine reservatione approbavit. Cf. AAS 1936, 24 s.

II. De relatione theologica inter virginitatem et votum castitatis [7].

Inde ab initio Ecclesiae usque ad nostrum tempus fideles, qui virginitatem suscipere velint, ordinarie electionem huius status confirmant voto castitatis perfectae et perpetuae. Hoc factum historicum iam ex se fundat praesumptionem votum esse medium naturae virginitatis quam maxime congruens ad statum virginitatis suscipiendum.

Revera virginitas, quatenus consistit in amore indiviso et exclusivo, in oblatione ac dedicatione integra ad Dominum, quatenus ulterius exigit sacrificium perpetuum, ad votum castitatis ex se perducit.

Sponsi connubii unionem ineuntes seipsos sibi mutuo tradunt; imprimis sibi mutuo tradunt amorem cordis; unione matrimoniali amor cordis modo humano, i. e. corporaliter, exprimitur. Haec mutua traditio tamen non est traditio vere matrimonialis, nisi sit irrevocabilis. In unione rescindibili enim sponsa non reservat omnem amorem cordis sui sponso; potius sibi reservat facultatem tradendi amorem cordis sui etiam alteri. A pari renuntiatio matrimonii ad tempus plus minusve longum, sive determinatum, sive indeterminatum, non condit statum virginitatis. Connubium spirituale et supernaturale, quo homo in statu virginitatis vivens Domino unitur, non minus indissolubile est, quam matrimonium inter homines. Amor indivisus et exclusivus, oblatio ac dedicatio integra ad

7 Cf. auctoris articulum: Priestertum, Jungfräulichkeit etc. parte 2. (l. c. 100 ss.).

Dominum, non est talis, nisi homo Domino ita se offerens habeat voluntatem, ut haec oblatio sit *irrevocabilis,* sit talis pro semper. Homo qui virginitatem eligit, Domino tradere intendit proprie hanc facultatem sibi datam, hoc suum ius fundamentale ineundi matrimonium. Dedicationem ad Dominum irrevocabilem fore *voluntate ipsius hominis,* qui virginitatem suscipit — hoc requirit oblatio ac dedicatio integra et exclusiva, quae virginitati est essentialis.

Hanc suam intentionem conferendi oblationi ac dedicationi ad Dominum characterem irrevocabilitatis homo exprimit voto, quatenus votum est promissio Deo facta pro semper. Ulterius : sacrificium perpetuum, quod virginitas requirit — quatenus exigit renuntiationem perfectionis naturalis, quae per matrimonium haberi potest — vere est tale sacrificium tantum, ubi voluntate omnino libera praestatur; renuntiatio matrimonii a voluntate plene libera non procedens valorem coram Deo non habet. Hunc characterem plenae libertatis oblationis ac dedicationis suae homo exprimit voto, quatenus votum est consecratio pro Deo alicuius boni, quod potestati personali hominis est subiectum. Quamdiu renuntiatio huius boni non est plene libera, homo votum non emittet, cum bonum, de quo agatur — in hoc contextu matrimonium — sit in potestate hominis : potest illud retinere resp. sibi procurare vel etiam illo renuntiare.

Praeterea recordatio facti electionem status virginitatis plene liberam fuisse decursu vitae pro homine, qui virginitatem suscepit, non raro erit

magni momenti. Suscipiendo enim statum virginitatis homo non deponit propriam naturam cum tendentiis eius. Hinc semper manet periculum amorem Deo exclusive dedicatum dividendi cum aliquo homine, committendi « adulterium » respectu fidei Deo datae. Ad confirmandam propriam voluntatem, in quantum hoc possibile sit, contra tale periculum, homo se ligat coram Deo ligatione quam maxime sacra, ligatione per votum. Recordatio huius liberae ligationis, character sacer huius promissionis, specialis gravitas eius violationis hominem in periculo constitutum a violanda fide defendet.

Etiam sub hoc respectu comparatio cum matrimonio finalitatem voti castitatis revelat. Sponsi connubium ineuntes, in quantum hoc ab eorum voluntate dependet, non indigent ligatione iuridica fidei mutuae, qualis habetur per contractum bilateralem matrimonii. Attamen decursu vitae huius ligationis iuridicae et obligationis gravis non raro erit fidelitatem amoris dedicati et ita mutuam caritatem sustinere. Proinde ipse contractus matrimonii habet characterem signi ac manifestationis mutui amoris exclusivi et mutuae caritatis.

Similiter homo, qui sequens vocationem divinam Deo se unit connubio spirituali, supernaturali, non indiget aliqua ligatione, sive iuridica, sive morali, amoris sui, oblationis ac dedicationis integrae et perpetuae ad Dominum. Attamen decursu vitae ligationis iuridicae aut saltem obligationis moralis non raro erit sustinere exclusivitatem amoris, et ita ipsam caritatem ac dedicationem integram ad Dominum. Sub hoc respectu ipsum

votum habet characterem signi ac manifestationis amoris indivisi et exclusivi, dedicationis integrae ad Dominum. Non tantum matrimonii, sed forte magis adhuc virginitatis periculum, et inde etiam comprobatio, secundum communiter contingentia, non habetur primis annis post statum susceptum, in iuventute, sed potius post aliquot annos, aetate matura.

Virginitatem natura sua hominem perducere ad votum perpetuae castitatis in Litteris Encyclicis *Pii XII.* « Sacra Virginitas » affirmatur, quatenus referunt sententiam *S. Thomae et St. Bonaventurae,* qui, cum *St. Augustino,* hoc votum habent *constitutivum* status virginitatis. Porro, in praefatis Litteris Encyclicis proponitur principium : fideles quam maxime et perfectissime sequi Christi Domini consilium renuntiandi matrimonio propter regnum caelorum, si propositum voto confirment [8].

Si habeatur tantum propositum voto non confirmatum mutationi intentionis et voluntati contrahendi matrimonium de se nihil obstat. Propositum serium renuntiandi matrimonio in perpetuum homo forte habuit; attamen non renuntiavit irrevocabiliter; *iure* contrahendi matrimonium non re-

---

[8] « Sacrae vero theologiae principes, S. Thomas Aquinas ac S. Bonaventura, Augustini auctoritate innixi, virginitatem edocent virtutis firmitate non pollere, nisi a suscepto voto oriatur eam illibatam perpetuo servandi. Et sane Christi sententiam de perpetua abstinentia a matrimonio ii maxime perfectissimeque ad effectum deducunt, qui voto perpetuo eam servandi se obligant; neque iure asseverari potest eorum propositum, qui sibi quandam ab eo resiliendi apertam viam reservare velint, melius esse atque perfectius ». Pius XII. l. c. 165.

nuntiavit; dedicationem integram — sub hoc respectu — non obtulit Domino.

Opinio melius esse et perfectius merum facere propositum, non autem emittere votum, explicite refutatur in praefatis Litteris Encyclicis. Haec opinio refutata supponit hominem praestare sacrificium maioris valoris coram Deo, si quotidie plena libertate sacrificium virginitatis praestet, quam si ad hoc voto ligatus sit et facultatem agendi aliter non iam habeat. Attamen haec opinio est erronea, iam ex eo, quod votum non aufert libertatem psychologicam; homo voto ligatus quotidie sacrificium virginitatis plena libertate praestat. In quantum autem voto ligatur, in caritate olim corde generoso Domino dedicata confirmatur — haec ratio ideoque motivum est in favorem voti; immo, in quantum homo votum suum fideliter servat, sacrificium praestat maioris valoris, quia praeter castitatem virtutem religionis exercet.

Activitas externa et iuridica Ecclesiae est propter eius vitam internam et supernaturalem; in hac vita interna et supernaturali eius omnis activitas externa et iuridica fontem suum habet et finem [9]. In quantum in praefatis Litteris Encyclicis proponitur principium de conexione, quae natura sua habetur inter virginitatem et votum castitatis, de voto tamquam modo quam maxime perfecto sequendi consilium virginitatis, in tantum sacerdotibus votum non solum commendatur, ad votum emittendum non solum invitantur, vero eis vo-

---

[9] Cf. auctoris articulum: Die Eigennatur des Kirchenrechts. (Das geistliche übernatürliche Wesen des Kirchenrechts), Gregorianum, 1946, 527-566.

tum etiam proponitur tamquam ligamen, quod vita interna et supernaturalis Ecclesiae *exigit* et postulat.

Haec suum momentum habent quoad quaestionem, utrum clerici saeculares in maioribus ordinibus constituti ad castitatem servandam teneantur tantum *lege* ecclesiastica (theoria legis), an insuper etiam *voto* (theoria voti). Aliqui enim fautores theoriae legis recenter affirmaverunt legem caelibatus qua talem omnino sufficere ad congruentem animum internum circa caelibatum efformandum, immo legem caelibatus hunc finem perfectius attingere quam votum; theoriam voti supponere conceptionem valde extrinsecam de natura legis ecclesiasticae [10].

Quae asserta in luce doctrinae modo breviter relatae, inde a primis saeculis usque ad praefatas recentes Litteras Encyclicas Pii XII, constare vix possunt. Revera ipsa *lex* caelibatus exigit congruentem animum internum, ipsa lex caelibatus exigit, ut renuntiatio matrimonii, quae de se est

---

[10] « Im übrigen scheint, wie ein angesehener Kanonist unlängst schrieb, bei manchen Gelübdetheoretikern eine sehr äusserliche Auffassung von der Natur des Kirchengesetzes vorhanden zu sein, so dass die Gesetztheoretiker für sich in Anspruch nehmen dürfen, eine höhere Einsicht in das Wesen und die Lebensfunktion des kirchlichen Rechtes zu haben ». *B. Puschmann* SAC., Zur Kontroverse über den Rechtsgrund von Zölibat und Keuschheitsverpflichtung bei Majoristen, Trierer Theologische Zeitschrift 1953, 316. « Diese Grundlage (das Kirchengesetz) ist ausreichend, weil das kirchliche Gesetz nicht bloss nach aussen wirken, sondern auch das Innenleben formen will, und zudem fester und strenger, als jene der Gelübdetheorie ». Mörsdorf in: *E. Eichmann, K. Mörsdorf,* Lehrbuch des Kirchenrechts auf Grund des CIC, I. Band, Paderborn 1953⁷, 270.

aliquid negativum, ascendat ad oblationem ac dedicationem integram cordis ad Dominum. Si unquam activitas iuridica Ecclesiae ordinatur ad bonum spirituale, supernaturale, tunc haec lex caelibatus ordinatur ad unionem sacerdotis cum Deo in caritate. Attamen proprie propter *hanc finalitatem* lex caelibatus tendit ad votum, quatenus votum conducit quam perfectissime ad illum animum internum congruentem efformandum. Nisi votum emittatur, observatio fidelis legis cum animo congruenti, i. e. cum animo consecrandi se Deo, nondum est observatio perfecta huius legis; consecrationi adhuc aliquid — quo tandem fit dedicatio ad Dominum *integra* — deest, quod *tantum* per votum praestari potest: ligatio personalis renuntiandi matrimonio, dedicandi se Domino irrevocabiliter, *propria voluntate.* In emissione et fideli impletione voti habetur modus naturae huius legis quam maxime congruens et perfectus implendi hanc legem [11]. Sicuti virginitas natura sua tendit ad votum castitatis, ita obligatio ad caelibatum servandum lege imposita tendit ad ligationem *personalem* per votum [12].

---

[11] Hinc non requiritur lex, quae emissionem voti explicite imponit, quia emissio voti est modus implendi hanc legem consuetudine saeculorum confirmatus. Cf. auctoris articulum: De fonte obligationis caelibatus clericorum in sacris, Periodica de re morali canonica liturgica, 1952, 125 ss.

[12] Alias impugnationes potius personales quam obiectivas, quae — contra plures auctores — in articulo a Puschmann conscripto (l. c. 309 ss.) habentur, non attendimus, quia ad dilucidandam quaestionem non conferunt. De praesumpta conceptione nimis extrinseca legis ecclesiasticae egimus, quia haec obiecto occasionem praebuit explicandi magis functionem voti relate ad impletionem legis caelibatus.

Quae cum ita sint, votum in ordine ad finem legis caelibatus obtinendum habet functionem, quae aliunde suppleri non posse videtur. Non mirum igitur, quod, ubi votum recusatur, ipse caelibatus non raro onus nimis grave habetur. Habetur ibi periculum, quod caelibatus servandus consideratur tamquam obligatio mere *ab extra* imposita. Ubicumque autem res ita se habet, non est dubium caelibatum non ascendere ad virginitatem, non conferre ad dedicationem integram cordis ad Dominum, et ita non obtinere finem suum. Tale periculum non esse mere praesumptum experientia quotidiana docet, etsi de hac re propter eius naturam publice saepissime nihil apparet. Tamen vel publica testimonia non deficiunt [13]. Talia facta autem a posteriori comprobant summam voti congruentiam pro observatione legis caelibatus — quae congruentia de se rationibus theologicis fundatur.

Notum est Ecclesiam quam maxime insistere, ut susceptio caelibatus fiat plena libertate personali candidati; intendit enim Ecclesia habere sacerdotes, qui corde suo Domino se dedicaverunt. Talem characterem plenae libertatis personalis susceptio caelibatus accipit per votum. Obligatio legis elevatur, ita ut characterem obligationis tantum ab extra impositae amittat, per ligationem in-

---

[13] Cf. Memoriale contra caelibatum clericorum in: Joh. Adam *Möhler*, Der ungeteilte Dienst, Salzburg, Leipzig, 1938. Hoc optimum opusculum primum editum fuit 1828. Cf. etiam Epistulam Benedicti XV. ad Cardinalem Csernoch, Archiepiscopum Strigoniensem, 12. 3. 1919, Acta Ap. Sed. 1919, 123; ad Archiepiscopum Pragensem Kordac, 3. 1. 1920, ibidem 1920, 34; ad eundem 29. 1. 1920, ibidem 58; Allocutionem consistorialem Benedicti XV. 16. 12. 1920, ibidem 586 s.

ternam, liberam, personalem, qualis habetur per votum. Si Ecclesia habet ius admittendi ad sacerdotium tantum illos candidatos, qui habent vocationem divinam ad statum virginitatis, habet etiam ius conferendi sacerdotium tantum illis a Deo ad virginitatem vocatis, qui vocationem ad virginitatem sequi volunt eo, quod votum emittunt. Illi, qui votum emittere nolint, non se sistant ad sacros ordines recipiendos.

CONCLUSIO: *Natura theologica virginitatis exigit votum castitatis perfectae et perpetuae, quatenus oportet dedicationem integram ad Dominum, quae est essentialis pro virginitate, esse inconditionatam et irrevocabilem propria voluntate libera, quod quam maxime congruenter voto castitatis perfectae et perpetuae obtinetur.*

III. DE OBLIGATIONE CANONICA CLERICORUM SAECULARIUM EMITTENDI VOTUM CASTITATIS [14].

a) *Naturae theologicae virginitatis, quatenus votum castitatis exigit, sententia communis — aut saltem communior — canonistarum et moralistarum — ante et post CIC — satisfacit admissione voti publici castitatis perfectae et perpetuae.*

Voto ordinandus propria voluntate suscipit etiam *canonice* obligationem servandae castitatis

---

[14] In sequentibus supponuntur nec repetuntur illa, quae habentur in articulo auctoris: De fonte obligationis caelibatus etc. l. c. 107-129.

perfectae. Hoc votum dicitur tacitum seu implicitum, quia ad extra non profertur verbis, sed animus ligandi se ad castitatem perfectam servandam per votum ad extra manifestatur ipso aditu ad sacrum ordinem recipiendum, ipsa receptione ordinis sacri. Ordinandus sciens modum implendi obligationem caelibatus per legem impositam esse emissionem voti volensque implere fideliter hanc obligationem, aditu ad sacrum ordinem prodit implicitam in isto aditu manifestationem animi vovendi castitatem, receptione ordinis sacri tacite profitetur publice suam voluntatem vovendi castitatem perfectam [15].

Secundum hanc theoriam voti obligatio caelibatus clericorum saecularium fundatur substantialiter omnino in ipsa lege ecclesiastica, qualis exstat in can. 132 § 1 CIC. Modus autem implendi hanc obligationem est emissio voti, ita ut clericus ad caelibatum servandum teneatur non tantum ipsa lege ecclesiastica, sed etiam voti ligamine propria voluntate et plena libertate condito. Hanc theoriam voti praebere genuinam interpretationem legis caelibatus non tantum constat ex consuetu-

---

[15] Ad normam can. 572 § 1, 5 professio religiosa non est valida, nisi sit expressa. Hac dispositione impeditur, ne ob possibilitatem professionis tacitae dubia oriantur de habita respective non-habita susceptione status religiosi. Candidatus ad sacros ordines statum caelibatus suscipere tenetur, nec de hac susceptione status caelibatus ordinatione recepta dubium haberi potest (abstrahendo a casu ordinationis sub metu gravi receptae). Proinde dispositio can. 572 § 1, 5 non potest transferri ad susceptionem status caelibatus per ordinationem sacram; ipsum fundamentum deest pro applicatione analogiae legis. Hoc dicendum est, quia interdum votum tacitum clericorum saecularium excluditur cum appellatione ad non-admissam professionem tacitam. Cf. Puschmann l. c. 314.

dine ininterrupta inde a medio aevo [16] — ita ut haec consuetudo emittendi votum sit optima interpres legis caelibatus (cf. can. 29) — sed etiam ex documentis Sanctae Sedis, quae votum supponunt, sive explicite, sive implicite. Talia documenta Sanctae Sedis exstant usque ad nostra tempora. Habentur ita Constitutiones, quibus Anni Sacri Jubilaei promulgantur, in quibus, saltem inde a Benedicto XIV., a facultate confessariis concessa dispensandi a votis semper excipitur votum publicum ordinibus sacris adnexum; quod votum in una linea ponitur cum voto emisso in professione religiosa [17]. Porro habetur responsum recens Com-

---

16 Puschmann l. c. 316 affirmat Instructionem Sacrae Congregationis de Sacramentis die 27. 12. 1930, Acta Ap. Sedis 1931, 120 ss., circa scrutinium ordinandorum, favere theoriae legis, quia in ista non est sermo de voto castitatis, sed tantum de lege caelibatus; e contra in respectiva Instructione Sacrae Congregationis de Religiosis 1. 12. 1931, ibidem 1932, 74 ss. est sermo de lege et de voto. Attamen Sancta Sedes non solet imponere explicite ea, quae ex legis interpretatione genuina de se habentur. Hinc non potest exspectari explicita impositio voti, quia genuina interpretatio legis caelibatus inde a medio aevo iam de se emissionem voti habet modum observandi legem caelibatus a legislatore intentum. Proinde etiam abstrahendo ab elemento arbitrario, quod in argumento ex silentio facile habetur — et hic non excluditur — omissio mentionis voti in praefata Instructione nihil probat contra theoriam voti, nec haec omissio tamquam favor pro theoria legis haberi potest.

17 Benedictus XIV., Const. Ap. « Convocatis » diei 25. novembris 1749, § 41: « Quod idem est ac si dicatur, ipsos potestatem dispensandi in Votis solemnibus Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae in solemni Religiosa Professione, sive in Ordinis Sacri susceptione emissis, minime habere ». (Codicis Iuris Canonici Fontes, vol. II. 269.) Pius XII., Const. Ap. « Decessorum Nostrorum » diei 10. iulii 1949: « Nullatenus tamen ab eodem (votum castitatis perfectae et perpetuae) illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint ». « Dispensare possint ... exceptis votis publice emissis in

missionis ad interpretandum Codicem Iuris Canonici [18].

b) *Argumentum pro theoria voti ex documentis Sanctae Sedis recenter impugnatur et non-convincens dicitur* [19].

Quoad *Constitutiones pro Anno Sacro Jubilaei* dicitur votum in hisce documentis intelligi posse sensu *improprio,* translato. Argumentum proponitur ita: Secundum Pontificale Romanum Episcopus ordinans ordinandos ad subdiaconatum hisce verbis alloquitur: « Hactenus enim liberi estis licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire ». Iamvero Benedictus XIV. sicuti in Pontificali Romano — ab ipso de novo edito — votum intelligit sensu improprio, translato, ita etiam in documentis ab ipso conditis — quae inter fontes in nota ad can. 132 § 1 CIC referuntur — votum intelligit sensu improprio, translato; saepius in hisce documentis una ponuntur eodem sensu improprio, translato « vota saecularia » et « votum castitatis ». Hinc non tantum in hisce documentis, sed etiam in Constitutione Apostolica « Convocatis » necnon in Constitutione Apostolica « Decessorum Nostrorum » (pro Anno Sacro Jubilaei) vo-

susceptione Ordinis sacri aut in profesione religiosa tam sollemni quam simplici...». (Acta Apostolicae Sedis 1949, 342, 344).

[18] De dispensationibus. D. 1. An sub verbis can. 81 « a generalibus Ecclesiae legibus » comprehendantur vota Sedi Apostolicae reservata. D. 2. An Ordinarii, vi can. 81 et sub clausulis in eo recensitis, valeant dispensare subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi sacrum caelibatum. R. Negative ad utrumque. (Acta Apostolicae Sedis 1949, 158).

[19] Puschmann, l. c. 309 ss., Mörsdorf, o. c. 269 s.

tum castitatis intelligitur sensu improprio ,translato[20].

Haec autem argumentatio sustineri nequit. Revera quidem Benedictus XIV. in documentis modo indicatis refert « vota saecularia », « vota secunda », ita tamen, ut contextus clare comprobet « vota » hic intelligi sensu improprio, translato, sicuti in Pontificali Romano dicitur: « vota saecularia »[21]. Semel etiam immediate una ponuntur « vo-

---

[20] « Übrigens stellt Benedikt (XIV.) in den bei Gasparri angeführten Texten mehrfach im gleichen Satz die vota saecularia neben das votum castitatis. Er folgt hierbei dem von ihm neu edierten Pontificale: Hactenus enim liberi estis licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire... Wenn freilich andere Dokumente des Heiligen Stuhles den Beichtvätern bei Gelegenheit des Jubelablasses eine Dispens von dem in Frage stehenden Keuschheitsvotum untersagen, so lässt sich diese Terminologie vollauf im oben erklärten Sinn des Pontificale Romanum verstehen. Die Supposition, der Heilige Stuhl wolle hierbei auf die Auffassung der Gelübdetheorie eingehen, halten wir für irrig. Der daraus konstruierte Beweis der Gelübdetheorie besitzt gerade im Licht des Jahrhunderte alten Streites wenig Durchschlagskraft ». Puschmann, l. c. 314, 316.

[21] « Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus ». (Codicis Iuris Canonici Fontes, vol. I. 748). « Conferuntur, inquit (Pater Thomas a Jesu), Ordines, excepto Presbyteratu, omni aetati, etiam immediate post Baptismum Parvulis... Quando autem Infantulis, aut Pueris, Sacri Ordines conferuntur, pro eisdem spondent, et haec vota observant ipsorum Parentes, donec decimum sextum aetatis Annum, aut circiter exegerint. ... Aeque tamen certum et exploratum est, per hanc Ordinum collationem non subiici Promotos obligationi servandae Castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis; cum electio status a libera cuiusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur ». (Ibidem 895 s.) « Tamquam haereticos damnant, qui putant, post primae Uxoris obitum nefas esse ad secunda vota transire ». (Ibidem 898).

ta saecularia » et « votum castitatis »[22]. Et in hoc textu « votum castitatis » intelligitur sensu *proprio*: Iam philologice est impossibile admittere a priori eundem sensum improprium, translatum in utroque casu, si una ponuntur « vota saecularia » et « votum castitatis »; de se etiam mere philologice sensus contrarius — sensus translatus in primo casu, sensus proprius in altero casu — est pariter possibilis. Iamvero in textu modo relato sensus contrarius necessario est admittendus, non tantum, quia Benedictus XIV. theoriam voti semper professus est, sed praesertim, quia « votum castitatis » in documentis canonicis est terminus *technicus*, qui votum sensu proprio designat; contrarium esset igitur stricte probandum et non praesumendum. Quae cum ita sint, iuxtapositio terminorum « vota saecularia » et « votum castitatis » in praefatis documentis Benedicti XIV. contrarietatem sensus designat.

Simpliciter autem canonistice impossibilis est interpretatio termini « dispensatio a voto publico castitatis » tamquam dispensatio a voto sensu improprio, translato. « Dispensatio a voto » est terminus *technicus*, qui in iure canonico habet sensum omnino clarum et univocum, quatenus refertur uni-

---

[22] « Infantes promotos ad Sacros Ordines, ubi sui compotes iam fuerint, diserte esse interrogandos super intentione permanendi, nec ne, in Ordine sibi collato. Si firmo deliberatoque animo palam assenserint, eo casu censent (graves theologi) eos obstringi voto Castitatis; sin minus, licitum sit eisdem ad saecularia vota transire, suspensa exercendi Ordinis potestate ». (Ibidem 896). « Affirmant (theologi) ita Ordinatum (post usum rationis sed ante pubertatem) tunc solum obligari voto servandae castitatis, quando Ordinationem expresse ratam habuerit, vel tacite ... » (Ibidem 896).

ce ad votum sensu proprio. Sensu proprio igitur in documentis pontificiis est sermo de dispensatione a voto publico castitatis.

Sententiam modo relatam votum in Constitutionibus Apostolicis pro Anno Sacro Iubilaei intelligi posse sensu improprio, translato Mörsdorf — quamvis quoad alia asserta sequatur Puschmann — non facit suam, sine dubio, quia hanc sententiam fundatam non habet. Secundum Mörsdorf haec documenta non habent vim probativam, potius quia — ait — non constituunt interpretationem authenticam CIC[23]. — Hoc verissimum est; neque unquam aliquis hoc affirmavit. Attamen haec documenta constituunt pronuntiationem univocam Sanctae Sedis in favorem theoriae voti; proinde manifestant *mentem legislatoris*, quae, ad normam can. 18, est attendanda pro interpretatione legis, quando verba legis de se non sunt omnino clara.

Pariter *responsum CIP* supra relatum constituit validum argumentum pro theoria voti. Vis probandi huius responsi habetur in eo, quod istud explicari nequit, si obligatio caelibatus tamquam fontem habet solam legem ecclesiasticam. Ipsa enim praerequisita pro facultate dispensandi ad normam can. 81 haberi possunt (pro diaconis et subdiaconis) etiam quoad obligationem caelibatus. Nemo autem affirmabit hoc responsum auferre facultatem dispensandi, quae Ordinariis de se iure CIC competit. Si tamen in hoc responso negetur Ordinariis competere facultatem dispensandi ab obli-

---

23 « Die Einschränkung der Dispensvollmacht in den Ablassbullen ist keine authentische Auslegung des CIC. » Mörsdorf, o. c. 270, nota 2.

gatione caelibatus ad normam can. 81, haec denegatio exigitur *natura* obligationis caelibatus, quatenus obligatio caelibatus non fundatur exclusive in lege ecclesiastica, sed insuper in voto publico ordinandi; facultas autem dispensandi a votis reservatis in facultate dispensandi a lege ecclesiastica non continetur; multo minus facultas dispensandi a votis publicis.

Haec interpretatio huius responsi CIP confirmatur etiam modo externo, quo hoc responsum datur. Conectitur enim hoc responsum cum alio responso et immediate illud sequitur. Ad quaestionem, utrum sub verbis can. 81 « a generalibus Ecclesiae legibus » comprehendantur vota Sedi Apostolicae reservata, respondetur negative. Immediate post hanc quaestionem ponitur quaestio, an Ordinarii vi can. 81 et sub clausulis in eo recensitis valeant dispensare subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi caelibatum; et respondetur negative. Revera hic duae quaestiones ponuntur de se distinctae. Quomodo tamen haec distinctio inter obligationem caelibatus et vota reservata tamquam ratio haberi potest, quae contra theoriam voti sit, vere difficile est intellectu [24]. Cur omnino ponitur prima quaestio? In quantum auctores affirmarunt facultatem dispensandi a votis reservatis in casibus necessitatis, fontem talis facultatis non habuerunt dispositionem can. 81; potius admiserunt cessationem reservationis in casibus necessitatis. Haec quaestio in responso CIP omnino non tangitur.

---

[24] « Die Abhebung der Zölibatspflicht von den vota reservata » in responso CIP est contra theoriam voti. Mörsdorf o. c. 270, nota 2.

Proinde positio primae quaestionis in responso CIP tantum habet sensum, si responsum ad hanc primam quaestionem est fundamentum iuridicum pro responso ad secundam quaestionem. Secunda quaestio igitur tamquam illa quaestio necessario habenda est, de qua dubium habetur et solvitur. Ergo ipsa conexio harum duarum quaestionum de se favet theoriae voti, eo vel magis, quod legislator certo non ignoravit theoriam legis non congruere sententiae communiori theoriae voti.

c) *Rationes quae recenter propositae sunt in favorem theoriae legis argumentum validum non constituunt, immo non sunt ad rem.*

Provocatur ad *Concilium Tridentinum,* et quidem praesertim ad canonem, quo damnatur sententia clericos in sacris ordinibus constitutos et regulares solemniter professos matrimonium contrahere posse non obstante lege ecclesiastica vel voto[25]. Argumentum proponitur ita: In hoc canone refertur « lex ecclesiastica » ad clericos in sacris ordinibus constitutos, et « votum » refertur ad regulares solemniter professos; ex actis Concilii insuper constat canonem non tantum indicare ori-

---

[25] Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum: A. S. Cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari. (Sess. XXIV. can. 9, Dz. 979, 980).

ginem caelibatus, sed etiam titulum iuridicum obligationis caelibatus[26].

Haec argumentatio omni fundamento caret. In can. 9. sess. 24. Concilii Tridentini non agitur de titulo iuridico obligationis caelibatus, sed excluditur clericos in sacris ordinibus constitutos et regulares solemniter professos posse valide contrahere matrimonium. Habetur enim hic canon inter canones de sacramento matrimonii; ipse textus canonis univoce refert ad legem ecclesiasticam et votum, quatenus lex ecclesiastica vel votum obstant valido contractui matrimonii clericorum et regularium.

Nequidem implicite in hoc canone agitur de titulo iuridico obligationis caelibatus clericorum, quia hic titulus, sive sit lex ecclesiastica sola, sive sit insuper etiam votum clerici, ex se non valet irritum reddere matrimonium forte contractum spreta obligatione caelibatus; in utroque casu requiri-

---

[26] « Von der Frage nach dem Ursprung des Zölibates lässt sich freilich die Frage nach seinem Rechtstitel abgrenzen. Wer indes die Diskussion verfolgt, wird zugeben, dass die Artikel-Redaktoren und die Debattenführer tatsächlich den Rechtsgrund der Zölibatspflicht herausstellten. Allen Einreden zum Trotz passierte der Kanon die 5. Abstimmung glücklich. Die Formel non obstante lege ecclesiastica vel voto trug den Sieg davon. Dabei bezieht sich nach damals wie heute gültiger Konstruktionsregel lege ecclesiastica auf clericos occ. in s. ordinibus constitutos und voto auf religiosos castitatem sol. professos ». Puschmann, l. c. 313. « Da sich der Gesetzgeber indessen nicht zu der Gelübdetheorie bekannt hat, vielmehr ebenso wie das Tridentinum (sess. XXIV can. 9) klar zwischen der auf dem Gesetz der Kirche beruhenden Zölibatspflicht der Geistlichen höherer Weihen und der kraft amtlichen Gelübdes gegebenen Pflicht der Religiosen unterscheidet (vergl. cc. 985 n. 3 1072 1073 2388 § 1), ist die Gelübdetheorie abgelehnt ». Mörsdorf o. c. 270.

tur lex formaliter distincta, qua matrimonium spreta obligatione caelibatus forte contractum declaratur irritum. Proinde dato non concesso — propter statim dicenda de obiecto formali canonis — in hoc canone verba « lege ecclesiastica » referri ad clericos in sacris ordinibus constitutos et verbum « voto » referri ad regulares solemniter professos, nihil aliud dicitur nisi *irritationem matrimonii* clericorum saecularium fundari immediate in lege ecclesiastica, regularium in voto. Dispositio autem canonica, quae irritationem matrimonii clericorum saecularium directe fundat in lege ecclesiastica, votum tamquam *titulum iuridicum obligationis caelibatus* neque affirmat, neque negat, sed ab hac quaestione omnino abstrahit. Immo, ipsi fautores theoriae voti plurimi fundamentum iuridicum irritationis matrimonii clericorum saecularium habent directe legem ecclesiasticam, ita ut etiam voto excluso actu positivo matrimonium forte attentatum sit irritum [27].

---

27 « Gasparri schliesst sich persönlich einer vermittelnden Ansicht an, die beiden Theorien gerecht zu werden versucht, und weiss sich dabei eins mit Thomas, Bonaventura, Wernz u. a. » Puschmann, l. c. 311. Haec facile intelliguntur, ac si hi auctores nec theoriam legis, nec theoriam voti, sed tertiam intermediam tenuerint. Revera autem hi auctores univoce tenuerunt theoriam voti. Insistunt tamen, ut obligatio caelibatus, etiam abstrahendo a voto, sit immediate ex lege ecclesiastica, sicuti praesertim etiam irritatio matrimonii clericorum maiorum.

« Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat;... Sed quod impediat matrimonium, ex *constitutione Ecclesiae* habet; tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos; quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris annexum: quod etiamsi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso

Attamen obiectum formale can. 9. sess. 24. Concilii Tridentini nequidem est fundamentum iuridicum irritationis matrimonii clericorum et re-

---

tamen quod ordinem suscipit, secundum ritum occidentalis Ecclesiae, intelligitur emisisse». S. Th. Suppl. partis III. q. LIII. a. 3.

« In Ecclesia occidentali sine dubio onus coelibatus ex lege ecclesiastica omnibus et singulis clericis directe imponitur, qui ad sacrum subdiaconatus ordinem rite sunt promoti. At Ecclesia occidentalis sua lege conditionata non solum praescribit ipsum coelibatum sive statum singularem, sed etiam specialem formam, qua sit suscipiendus et exercendus i. e. per votum perfectae castitatis. Quare obligatio coelibatus in clericis maioribus Ecclesiae latinae non nititur sola lege ecclesiastica, sed directe et immediate etiam solemni voto perfectae castitatis in promotione ad subdiaconatum sponte et tacite iuxta sacros canones emisso. Inde necessario consequitur obligationem coelibatus in clericis maioribus Ecclesiae latinae minime esse mere negativam scl. non nubendi, sed etiam positivam ex vero voto singulari perfectae castitatis. Quocum voto perfectae castitatis profecto nuptiae clericis multo efficacius quam ex sola lege ecclesiastica prohibentur. Porro efficacia illa voti aucta est, quod Ecclesia votum illud in statu voti simplicis minime relinquens vi atque natura voti solemnis donarit... Illa autem solemnitas voti continet vim irritandi matrimonium forte attentatum. Quae vis irritandi ab Ecclesia adeo rigorose sustinetur, ut etiamsi in casu quodam particulari ex ignorantia vel malitia votum perfectae castitatis non emitteretur, tamen obligatio ad servandum coelibatum sive verum statum singularem et inhabilitas ad matrimonium celebrandum ex sola lege ecclesiastica omnino manerent, dummodo non agatur de illa ignorantia in Ecclesia occidentali vix practica et in foro externo non praesumpta, qua quis absolute ignoraret vel ipsam obligationem coelibatus sive status singularis quacunque ex causa clericis maiorum ordinum esse impositam, aut forte in aetate infantili vel impubere ordinatio facta esset. — Quae praesumptio in foro externo saltem nostra aetate videtur militare etiam contra clericum ad subdiaconatum promotum, qui allegare velit vel solam ignorantiam voti sacro ordini adnexi: esset enim ignorantia iuris clari et doctrinae communiter traditae, quae in subdiacono promoto non est praesumenda». Fr. X. *Wernz S. J.*, Ius Decretalium, Tom. II. pars I. Romae 1906[2], 303 ss. cum nota 218.

gularium. Quando habita fuit votatio definitiva circa canones de sacramento matrimonii, Cardinalis Carolus de Lotharingia votum suum dedit cum hac declaratione: « In 9. canone non placet quod dicitur « non obstante lege ecclesiastica »; si tamen maiori parti patrum placuerit, approbabo canonem, sed eo sensu, quo scriptus est et a patribus approbatus, quorum hanc mentem fuisse non animadverti, ut vellent decernere, legem coelibatus esse legem ecclesiasticam, cum *nec proposita fuerit haec quaestio, nec a patribus disputata*, sed tantum verba *Lutheri* posita fuerint, videlicet « non obstante lege ecclesiastica vel voto », cuius error ipsius verbis positus iuste fuit a patribus damnatus » [28].

Hanc declarationem explicite suam fecerunt etiam alii ex Patribus, praesertim etiam Cardinalis Hosius Varmiensis, tunc temporis unus ex Legatis et Praesidentibus Concilii [29]. Hinc obiectum forma-

---

« Tandem alii utramque sententiam sequuntur, dicentes hanc obligationem esse directe tum ex lege Ecclesiae tum ex voto, modo superius explicato, ob rationes ab utriusque sententiae patronis allatas. Conc. Trid. et Codex post ipsum, hanc quaestionem intactam relinquunt quae revera in praxi parvi momenti est; nos tertiae sententiae subscribimus ». P. Card. *Gasparri,* Tractatus canonicus de matrimonio, Typ. Pol. Vat. 1932, 365.

Quoad sententiam St. Bonaventurae cf. supra notam 8.

Immo, auctores, qui votum negant, ex hoc iam non possunt haberi fautores theoriae legis. Potius videndum est, utrum votum negetur tamquam fundamentum immediatum irritationis matrimonii forte attentati — quo asserto votum teneri adhuc possit tamquam fons obligationis caelibatus — an insuper votum negetur tamquam fons obligationis caelibatus.

28 Concilium Tridentinum (Editio Societatis Goerresianae), Tomus IX. 971.

29 « Nonum canonem approbat, sed eo sensu, quo scriptus est et a patribus approbatus, quorum hanc mentem fuisse non anim-

le huius canonis est *damnatio doctrinae reformatorum,* qui caelibatum ecclesiasticum impugnabant, non quidem in se, sed in quantum observatio caelibatus obligatorie imponitur, sive per legem ecclesiasticam, sive per votum. Hanc impugnationem Concilium damnat; verba « non obstante lege ecclesiastica vel voto » referunt ad doctrinam reformatorum, qui negaverunt legem ecclesiasticam vel votum posse impedire quemquam, ne validum contrahat matrimonium. Proinde obiectum canonis est negativum; positive non dicitur, quale sit fundamentum iuridicum, quod irritet matrimonium clericorum forte attentatum; ex parte canonis tale fundamentum posset esse vel lex divina [30], vel lex ecclesiastica, vel votum, vel lex et votum simul.

---

advertit, ut vellent decernere, legem coelibatus esse legem ecclesiasticam, cum nec proposita fuerit ea quaestio, nec a patribus disputata, sed verba tantum *Lutheri* posita fuerint: ' non obstante lege ecclesiastica vel voto '. Cuius error, ipsius verbis positus, iuste fuit a patribus damnatus ». Ibidem, 1008.

30 « Der von Seripando redigierte Ketzerartikel (Licite contrahere posse matrimonium sacerdotes occidentales non obstante voto) wird am 4. Februar 1563 den Theologen mit folgender beachtlicher Änderung vorgelegt: Licite contrahere posse matrimonium sacerdotes occidentales, non obstante voto vel lege ecclesiastica. Aus den Gutachten heben wir hervor: den Augustiner Claude de Saintes:... consecratio enim etiam sine voto et arbitrio meo obligat me ad sanctificationem, et ita Deo obligor, ut non possim applicari ad alios usus; die Dominikaner Ferrer und Cinthius, die das *vel* der Vorlage in ein *et* umdeuten ». Puschmann, l. c. 312.

In hac citatione theologi Claudii de Saintes omittuntur verba, quae verba relata immediate sequuntur: « Nam cum vocor ad aliquem statum, cui de iure divino repugnat matrimonium, teneor ego ad abstinendum ab eo eodem iure divino. Sed sacerdotio repugnat habere uxorem; ergo cum fio sacerdos, teneor de iure divino ab uxore abstinere ». Concilium Tridentinum, l. c. 438, 439. Ergo hic theologus votum non habet necessarium, quia iure *divino*

Quae cum ita sint, valde mira apparere debent conamina invocandi auctoritatem Concilii Tridentini in favorem theoriae legis. Tamquam princi-

---

sacerdotio repugnat matrimonium; de cetero agit tantum de fundamento irritationis matrimonii.

« Sacerdos autem consecravit Deo castitatem, sed non annullationem sui consensus... Prohibentur itaque sacerdotes, ne ducant uxores, ex voto et ex lege ecclesiastica ». Ita Franciscus Ferrerius. Ibidem, 443.

« Quoad secundum articulum, an liceat sacerdotibus occidentalibus, non obstante voto et lege ecclesiastica uxores ducere, respondit, non licere... Lex igitur ecclesiae et votum obstat ». Ita Sanctès Cinthius. Ibidem 464.

Clare igitur apud hos theologos apparet quaestio proposita, de qua unice agunt: Quid irritat matrimonium sacerdotum saecularium? (De cetero neque in disputationibus Patrum, neque theologorum votum negatum fuit tamquam titulus iuridicus obligationis caelibatus). Et haec quaestio de irritatione matrimonii ponitur, de hac quaestione disputatur, quia reformatores attribuebant libertatem contrahendi matrimonium etiam sacerdotibus et monachis; habebant virginitatem consilium, quod corrumpitur, quando fit obiectum legis vel voti; habebant matrimonium mandatum divinum, quod sequi tenentur omnes, qui castitatis donum non habent.

Exstat « Iudicium Martini Lutheri de votis monasticis » ex anno 1521. (D. Martin Luthers Werke. 8. Band. Weimar 1889, 577-669). In hoc iudicio, praesertim in capite: De virginitate (l. c. 583 ss.), exponit virginitatem in se esse bonam, illam tamen esse consilium, consilium autem excludere ligationem. Homines contra Evangelium ex hoc consilio fecerunt praeceptum. Nemo tenetur tale praeceptum servare. « Virginitas et castitas laudandae sunt, sed sic, ut magnitudine earem magis absterreantur, quam alliciantur homines ». (l. c. 575). « Si Euangelio obeditis, coelibatum liberum habere debetis, si liberum non habetis, Euangelio non obeditis. Quia impossibile est, ut consilium Euangelii fiat *praeceptum*, et aeque impossibile est, ut vestrum *votum* sit consilium ». (l. c. 584).

Eadem conceptio habetur in Confessione Augustana ex anno 1530. (Libri Symbolici Ecclesiae Evangelicae sive Concordia. Recensuit C. A. Hase. Lipsiae 1827). In articulo: De conjugio sacerdotum (pars. II. art. II. l. c. 21 ss.) necnon in articulo: De votis monachorum (pars II. art. VI. l. c. 32 ss.) exponitur man-

pium sacrosanctum pro interpretatione Conciliorum habetur semper — et quidem iure — regula nihil habendum esse obiectum doctrinae conciliaris, nisi id, quod certo constat fuisse obiectum formale quaestionis propositae. Haec conamina eo minus intelliguntur, quo iam saepius negatum fuit invo-

---

datum divinum contrahendi matrimonium neque lege humana neque voto tolli posse. « Nec est humanae potestatis, sine singulari dono et opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad coelibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei et ordinationem Dei nulla *lex* humana, nullum *votum* tollere potest ». (De conj. sacerd. l. c. 22). « Qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad coelibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei: Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam. Neque mandatum solum, sed etiam creatio et ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud: Non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato et ordinationi Dei. Quid potest contra haec opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei ». (De votis monachorum, l. c. 33 s.)

In hisce textibus notanda sunt haec: Quoad caelibatum *sacerdotum* est sermo de lege *et* de voto. Hinc in damnatione doctrinae reformatorum convenienter recensenda erant lex et votum etiam quoad sacerdotes saeculares. — Reformatores impugnarunt irritationem matrimonii, quae habetur contraria legi divinae. Hinc damnatio doctrinae reformatorum respiciebat irritationem matrimonii. — Reformatores habebant castitatem singulare Dei donum vel opus. Hinc in can. 9. non tantum damnatur doctrina reformatorum, sed ipsa terminologia alludit ad textus modo citatos. Modificationes successivae in redactione textus can. 9. magis magisque exhibent mentem reformatorum.

Proinde assertum redactiones successivas can. 9 et disputationes circa ipsum probare obiectum primarium can. 9 esse titulum iuridicum obligationis caelibatus (cf. notam 26) est prorsus arbitrarium, nec factis historicis correspondet.

cari posse auctoritatem Concilii Tridentini in favorem theoriae legis [31].

De cetero Concilium Tridentinum non se pronuntiasse in favorem theoriae legis, iam ex eo constat, quod S. Congregatio Concilii — ad quam usque ad Pium X. spectabat non tantum executio, sed etiam interpretatio decretorum disciplinarium Concilii Tridentini — per saecula habebat praxim, quae stylum huius S. Congregationis vere constituebat, in resolutionibus circa caelibatum clericorum saecularium appellandi ad votum tamquam ad fontem obligationis caelibatus clericorum saecularium [32].

Tandem adducitur in favorem theoriae legis *Allocutio Pii XII.* habita die 8. decembris 1950 coram delegatis congressus religiosorum. Argumentum proponitur ita: In hac Allocutione Pius XII. affirmat ligamina clericorum saecularium et religiosorum esse diversa; posse tamen clericum saecularem ligamina religiosorum assumere « privatim suaque sponte ». Ita Pius XII. se pronuntiat in favorem theoriae legis, quia agnoscit obligatio-

---

31 « Das Tridentinum hat diese Frage nicht entschieden. Der gegenteiligen Behauptung gegenüber, die zu Gunsten der ' lex ecclesiastica ' auf can. 9 des Tridentinums sess. 24 (Schulte, Eher. 213) beruft, zeigt Laurin 174 f., dass eine diesbezügliche Entscheidung nicht im Sinne der Väter lag ». *A. Knecht*, Handbuch des katholischen Eherechts, Freiburg i. B. 1928, 414 cum nota 1. Ita hic auctor, qui ipse favet theoriae legis. — Cf. etiam sententiam Card. Gasparri in nota 27.

32 Cf. e. g. Aem. L. Richter, Frid. Schulte, Canones et Decreta Concilii Tridentini, Lipsiae 1853, 201 ss. Joh. F. Zamboni, Collectio Declarationum Sacrae Congregationis Concilii, tom. III. Atrebati 1867, 208 s. Salv. Pallottini, Collectio omnium conclusionum et resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, tom. XVI. Romae 1892, 159 ss.

nem caelibatus clericorum saecularium non fundari in voto, sed in lege ecclesiastica [33].

Attamen etiam haec argumentatio omni fundamento caret. In textu citato et in contextu immediato praefatae allocutionis [34] Pius XII. agit de distinctione inter clericos saeculares et religiosos sub ratione *status perfectionis*. Negat clericos saeculares versari in statu perfectionis acquirendae, quia vota publica paupertatis, castitatis, obe-

---

33 « Eine Bestätigung mag etwa auch in einer Ansprache Pius XII. vor dem Religiosenkongress am 8. Dezember 1950 zu finden sein. Der Heilige Vater weist auf die Verschiedenheit der Bindungen von Religiosen und Bistumspriestern hin und erläutert sodann, dass letzterer ʻ privat und aus eigenem Antrieb ʼ eine zusätzliche Gelübdebindung übernehmen könne. Diese Worte bestätigen den Standpunkt der Gesetztheorie ». Puschmann, l. c. 316. « Wie Papst Pius XII. am 8.12.1950 vor dem Religiosenkongress unter Hinweis auf die verschiedene Bindung des Religiosen und des Weltgeistlichen ausführte, hindert dies jedoch nicht, dass der Weltgeistliche ʻ privat und aus eigenem Antrieb ʼ die dem Religiosen eigenen Bindungen übernimmt. Damit wird anerkannt, dass die Zölibatspflicht der Geistlichen höherer Weihen als allgemeine Pflicht nicht auf einem Gelübde, sondern auf dem Kirchengesetz beruht ». Mörsdorf, o. c. 270.

34 « Veritati absonum est asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturae postulatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (acquirendae) appellari. Clericus igitur non vi divini iuris evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, oboedientiae devincitur; ac praesertim non eodem modo devincitur eademque ratione, qua ex votis publice nuncupatis in religioso statu capessendo huiusmodi obligatio exoritur. Id autem non prohibet, quominus privatim suaque sponte clericus haec vincula suscipiat. Itidem quod Latini ritus sacerdotes sacrum coelibatum servare tenentur, inter clericalem et religiosum statum discrimen non aufert vel attenuat ». Allocutio Pii XII. 8.12.1950 coram delegatis congressus religiosorum. Acta Ap. Sedis 1951, 29.

dientiae non emittunt; religiosi haec tria vota emittunt; et ea de causa versantur in statu perfectionis acquirendae. Possunt quidem clerici saeculares private hisce votis se ligare, quin tamen ita ad statum publicum perfectionis transeant.

Quomodo hisce verbis theoria legis approbetur, vere non apparet. Illa quae hic dicuntur, sensu pleno verificantur etiam supposita theoria voti. Ad suscipiendum statum publicum perfectionis requiruntur *tria* vota publica paupertatis, castitatis, obedientiae simul; votum publicum castitatis pro se solo non sufficit. Etiam supposito voto publico castitatis clerici saeculares non versantur in statu perfectionis acquirendae. Immo, ipse Pius XII. hic explicite affirmat, obligationem caelibatus clericorum saecularium de se non efficere, ut isti in statu perfectionis acquirendae versentur. Iamvero per votum publicum castitatis perfectae obligatio servandae castitatis clericorum saecularium materialiter omnino non modificatur. Proinde quaestio de voto tamquam fonte obligationis caelibatus clericorum saecularium hisce verbis pontificiis nec explicite, nec implicite tangitur.

Etiam hic appellandum est ad principium de cetero sacrosanctum : non habendum esse obiectum doctrinae pontificiae nisi id, quod tamquam obiectum quaestionis propositae constat. Hinc non videri potest non fundata haec observatio : Omnia illa, quae contra theoriam voti et pro theoria legis recenter allata sunt, supponunt theoriam legis esse probatam. Ex tali supposito non probato, sed aprioristice admisso, intentio in interpretatione documentorum Sanctae Sedis perperam dirigitur

eo, quod explicatur, quomodo illa documenta sint intelligenda, ut congruere possint cum theoria legis.

Conclusio: *Theoria voti per documenta Sanctae Sedis usque ad nostra tempora confirmata est ita, ut dicenda sit sententia, quae mentem supremi legislatoris Ecclesiae exprimit.*

Conclusio finalis: *Per votum castitatis perfectae et perpetuae consecratio sacerdotis pro Deo — per susceptionem status virginitatis — accipit ultimam perfectionem humanam, quatenus obligatio ad hoc votum emittendum medium aptissimum est ordinis canonici — quod alio medio suppleri non potest — ad protegendam et quam maxime perficiendam consecrationem spiritualem — supernaturalem sacerdotis pro Deo.*

WILHELMUS BERTRAMS, S. J.

DE AUCTORITATE ORDINARIORUM LOCORUM IN MISSA PAROECIALI PROPAGANDA

II. De Auctoritate Ordinarii Loci relate ad rectores ecclesiarum non paroecialium et oratoriorum.

Ad ordinate exponendam quaestionem, quibusnam mediis disciplinaribus canonicis Ordinarii locorum uti possint ad propagandam assistentiam missae festivae et dominicali paroeciali, iuvabit successive tractare primum de *ecclesiis non paroecialibus,* quibus aequiparanda sunt *oratoria publica,* quippe quae eodem iure quo ecclesiae reguntur (can. 1191 § 1); deinde de *oratoriis semipublicis.* De oratoriis privatis agendum non est: etsi omnes fideles, quibus dominus oratorii privati aditum concesserit, ibi missam audire etiam die dominica et festa possint, tamen soli privilegio huismodi oratorii gaudentes ibi praecepto satisfacere valent.

1. *De ecclesiis non paroecialibus et oratoriis publicis.*

Vix indiget probatione, Ordinarium loci non posse prohibere rectoribus vel dominis ecclesiarum ac oratoriorum publicorum quominus fideles admittant ad missas diebus dominicis et festis in illis celebrandas. Rector enim *ecclesiae,* aedis ni-

mirum sacrae divino cultui dedicatae eum potissimum in finem ut omnibus fidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum (can. 1161), ingressum in eam ad sacros ritus omnibus concedere tenetur, et quidem omnino gratuitum (can. 1181). Item rectores vel domini *oratorii publici,* erecti quidem in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi (can. 1188 § 2 1°), ius illud auferre vel restringere neque propria neque Ordinarii loci auctoritate valent. Nostrae quaestionis interest animadvertere, duo elementa simul requiri ut oratorium publicum sit sensu canonico: primo ut aditus sit iuris publici, secundo ut auctoritate ecclesiastica cultui publico sit dedicatum. Primum elementum publici ingressus supponit, dominum privatum loci, si quis est, iuribus suis exclusivis ad locum eiusque aditum renuntiasse, tali quidem modo ut ab eius libero arbitrio non iam dependeat ille ingressus, at competat iuri stricto cuicumque fidelium [1].

---

[1] JOANNES BAPTISTA GATTICUS, *De oratoriis domesticis et de usu altaris portatilis ...,* Romae 1752, cap. III *De differentia inter oratorium publicum et privatum,* pag. 10-19, speciatim num. VII pag. 13/4: « ... sicut ad publicum oratorium necesse est viam ad illud immediate ducentem reddere publicam renunciatione proprii iuris; ita ad publicum oratorium intra alicuius domum erigendum requiritur portam domus, atriumque penitus liberum singulis relinqui, ut a domino numquam possit transitus prohiberi illis, qui ad eandem capellam oraturi accesserint »; PROSPERI FAGNANI *Commentaria in quintum librum decretalium,* tit. *De privilegiis et excessibus privilegiatorum* cap. *In his* num. 18, Venetiis 1764 pag. 280: postquam exposuit Concilium Tridentinum prohibuisse ut missa fieret in privatis domibus, etiamsi in eis esset oratorium

Attamen, cedere iuri privato proprio ac condare statum iuridicum alicuius loci, cultui exercendo destinati, ut omnes illum ingrediendi ius habeant, locum hunc quodam utique sensu oratorium *publicum* constituit[2], at solummodo ratione loci,

---

ad divinum cultum dedicatum, atque Congregationem Concilii censere oratoria intra domesticos parietes aut in privato solo constructa censeri privata, nisi habeant ostium, quod immediate respondeat in viam publicam, ita pergit: « Quinimmo saepius declaravit, oratoria aedificata in agro, aut solo privato ... adhuc privata censeri, si ostium respondeat in aream privatam utcunque omnibus patentem; quamvis his casibus aliquando rescripserit ad episcopos, ut postquam dominus soli per publicum instrumentum situi ante oratorium existenti efficaciter, et cum effectu renuntiaverit, declarent oratorium illud esse publicum .., »; item JOSEPHI DE BONIS *Tractatus de oratoriis publicis,* (in: JOSEPHUS A. ASSEMANI, *Commentarius theologico-canonico-criticus de ecclesiis ...,* Romae 1766), cap. XVIII: *Nonnulla in publicorum oratoriorum aedificiis animadvertenda,* num. 326-343, pag. 323-326. *Analecta Juris Pontificii,* 3e série, 1e partie du 2d vol., Romae 1858, col. 615-657: *Traité des chapelles domestiques,* num. XII: *Ce qu'il faut pour une chapelle publique,* col. 651 s., num. 86: « Une chapelle publique est celle qui est ouverte à l'usage de tous. Comme un édifice ne peut servir à la commodité publique si la porte de cet édifice ne s'ouvre pas sur un lieu public, il faut, en règle ordinaire, que l'entrée d'une chapelle publique réponde immédiatement à la voie publique. Il ne faut donc pas qu'un particulier ait le pouvoir de fermer la route et d'empêcher ainsi l'entrée d'une chapelle publique. Telle est la règle ordinaire; mais le Saint-Siège en dispense assez fréquemment, comme le prouvent les exemples que nous allons citer ». Exempla vero num. 87-89 allata, scilicet tria decreta Congregationis Concilii, probant non absolute quidem requiri ut ianua aperta sit ad viam publicam, requiri tamen ut oratorium sit « in loco, ad quem omnibus pateat aditus », ita ut proprietarius privatus « publico instrumento se obliget semitam, qua itur ad capellam praedictam, cuique liberam in perpetuum servare, atque illius dominio, et iuri renuntiet ... (lib. 13 *Decretorum S. C. Concilii* pag. 128) ».

2 GATTICUS *l. c.* num. XIV pag. 17 s. agit « de nonnullis oratoriis, quae a piorum devotione eriguntur in publicis viis ad ve-

qui publici iuris iam factus est, non ratione reservationis et destinationis cultui exercendo, quae mere privatae manent. Ut constituatur insuper publica haec destinatio cultui publico Ecclesiae, accedat necesse est dedicatio auctoritate ecclesiastica facta. Publicum proinde oratorium duplici titulo tale vocatur: ratione loci, in quantum vel fundatione a publica auctoritate — sive ecclesiastica sive civili — vel cessione iuris a fundatore privato facta locus publici iuris est; deinde, hisce praesuppositis, ratione reservationis cultui, in quantum oratorium auctoritate ecclesiastica cultui publico perpetuo dedicatur [3].

---

nerationem alicuius sacrae imaginis ibidem collocatae, vel ad orationes fundendas; nec tamen ab episcopo tamquam idonea ad missae celebrationem approbata fuerunt », quaeque publica esse affirmat: « Quamvis enim illa non gaudeant privilegiis, quibus alia oratoria publica auctoritate erecta, et ab episcopis approbata fruuntur; tamen vere publica sunt, et a domesticis, privatisque orationis aedificiis distinguuntur. Quare ab Em.o Card. Petra Tom. I. in Const. Apost. pag. 394 Edit. Rom: et Fagnano cap. *Auctoritate* tit. De *eens.* eo sensu *privata* dicuntur eadem oratoria, ut ita nonnulla diversitas exprimatur ab caeteris oratoriis publicis, in quibus liberum est offerre sacrificium, licet ratione loci etiam ipsa publica sint appellanda ».

[3] Doctrinam canonicam traditam egregie expositam invenies apud Adolphum C. M. Van Gameren, *De oratoriis publicis et privatis ...*, Lovanii 1861, pars I cap. IV *De varia oratoriorum specie*, pag. 47-57. Attulimus plures auctores antiquiores, tum quia fusius et profundius quaestionem, in re quam tractamus sat magni momenti, exponunt, tum ut nonnisi post serium examen recedere videamur a sententia nuperrime a viro in re canonica versatissimo proposita, iuxta quam ius fidelium ingrediendi oratoria publica fundaretur non titulo quodam iuridico praevio, puta cessione iuris facta a proprietario, quae esset mera conditio requisita pro dedicatione ad cultum publicum facta ab auctoritate ecclesiastica, quae dedicatio titulus immediatus iuris fidelium dici deberet: Nikolaus Hilling, *Über die Natur und den Umfang des Zutritts-*

Ordinariis deest facultas prohibendi aut limitandi, sive per se sive mediante praecepto rectoribus vel dominis dato, ius fidelium accedendi ad ecclesias et oratoria publica. Non tamen ipsi carent omni canonica potestate protegendi ministerium paroeciale, inde etiam missam dominicalem paroecialem, a nocumentis forte a functionibus aliarum ecclesiarum ac oratoriorum publicorum timendis, cum plures canones huiusmodi potestatem explicitis verbis tribuant. Ecclesiae rector potest divina officia etiam sollemnia celebrare, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum (can. 482). Superiores religiosi advigilent ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat; iudicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet (can. 609 § 3). Confraternitates et piae uniones, in propriis ecclesiis erectae, functiones non paroeciales, ut celebratio missarum etiam diebus dominicis, servatis servandis, independenter a parocho exercere possunt, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia non noceant; in dubio autem utrum functiones confraternitatis vel piae unionis noceant, necne, ministerio paroeciali, ad Ordinarium loci spectat ius deciden-

---

rechts der Gläubigen zu den öffentlichen Oratorien, in: *Archiv für katholisches Kirchenrecht* t. 126, 1954, 127-129.

di, itemque statuendi practicas normas servandas (can. 716 §§ 1 et 2). Quaenam autem remedia in omnibus his casibus ad dispositionem Ordinariorum relicta sint, in canonibus citatis non dicitur; cum ipsi neque fideles ab ingressu neque rectores a celebratione prohibere possint, uti poterunt tantum iuri aliquatenus determinato in can. 1171, qui statuit: in sacra aede legitime dedicata omnes ecclesiastici ritus perfici possunt, salvis iuribus parochialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum, potest, iusta de causa, praefinire, dummodo non agatur de ecclesia quae ad religionem exemptam pertineat, firmo praescripto can. 609 § 3.

Erit proinde distinguendum inter ecclesias non paroeciales ac oratoria publica quae pertinent ad religionem exemplam, et reliqua.

Quoad *aedes sacras exemptorum* — non exclusis iis quae pertinent ad moniales quae subsunt iurisdictioni Ordinarii regularis — valet solus can. 609 § 3. Hic tamen canon hodie vix umquam applicationem practicam quoad regulares inveniet. Nam primo, etiamsi Ordinarius, dissentiente superiori regulari, iudicaret officia regularium nocumentum afferre explanationi Evangelii in ecclesia paroeciali, nullum remedium ei adest ut iudicium executioni mandetur nisi recursus ad S. Sedem, quae utique non absque novo examine ac altera etiam parte audita sententiam feret propriam, inde iudicium non erit Ordinarii, sed Sanctae Sedis [4].

---

[4] Quae cl. S. GOYENECHE, *Iuris canonici summa principia ... De religiosis.* Romae 1938, num. 79 pag. 161, huic canoni adnotat:

Praeterea: auctores recentiores omnes non tam tenorem canonis quam finem eius respiciunt, utendo methodo interpretandi legem potius, ut

---

«... iudicium autem utrum nocumentum afferat necne ad *loci Ordinarium*, non ad parochum ipsum, pertinet..., cui standum est, non excluso quidem recursu in devolutivo ad S. Sedem», auctor sine dubio de solis non exemptis dicere intendit. Item F. CLAEYS BOUUAERT-G. SIMENON, *Manuale iuris canonici*, tom. 1. ed. 3., Gandae 1930, num. 688, 2, pag. 398: «Si nocumentum adest, loci Ordinarius superiorem religiosum primo amicaliter monere, dein praecepto (non censura) coercere potest; difficultate permanente, res esset ad S.C.C. vel ad S.C.R. deferenda». Animadverat tamen: «At religiosis *exemptis* non potest episcopus prohibere ne missas suas in sua ecclesia ante missam parochialem celebrent». MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *Institutiones iuris canonici*, vol. 1., Taurini 1928, num. 615 pag. 789: «Ordinario *loci* defertur iudicium de nocumento; si superior acquiescere recusat non ideo potest Ordinarius divina officia in ecclesia regularium prohibere, sed ipsi ad S. Sedem recursus patet quae facile eius iudicio deferet». EDUARDUS F. REGATILLO, *Institutiones iuris canonici*, ed. 2., Santander 1946, vol. 1. num. 743 pag. 397: «... iudicium de nocumento ad loci Ordinarium pertinet, qui in hunc finem vetare potest ne functiones in aliis ecclesiis, non exemptis, tali hora celebrentur (c. 1171)...»; A. VERMEERSCH-J. CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, tom. 1. ed. 7. Mechliniae 1949, num. 767 pag. 579-80: «Iudicium de nocumento isto episcopo committitur; non quod inde acquirat in regulares iurisdictionem repressivam. Sed monitus ab episcopo, superior debet per se divina officia in propria ecclesia ita ordinare ut per se directe non noceant. Quod si superior non fecerit, Ordinarius recurret ad S. Sedem, quae providebit». Canon et commentaria nituntur unico fonte hoc loco in notis Card. Gasparri allato, epistula sc. encyclica Benedicti XIV *Etsi minime* 7. febr. 1742, § 15: *C.I.C. Fontes* vol. 1. num. 324 pag. 719: «Saepe enim contingit, in aliis ecclesiis, ac praesertim regularium, solemni ritu, magnaque populi frequentia, festum aliquem diem celebrari: ideoque si in ecclesia parochiali, summo mane, aut statim a prandio catechismus habeatur, aut nemo, aut pauci admodum adsunt... In hoc articulo quia certa, et communis regula praescribere non potest, id totum relictum volumus prudentiae vigilis ecclesiae Antistitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, ita studeat solemnis

nonnumquam sermone familiari dicunt, « morali », quam « iuridica ». Antiqua disciplina medievalis, imo aliquatenus ipsum Concilium Tridentinum, non alium, ut patet, finem prae oculis habens ac maiorem devotionem melioremque instructionem fidelium, hunc finem tamen potissimum prosequendum esse instituto paroeciae, ut medio ipsis iuris canonici cautelis maxime idoneo, vel praescripsit vel persuasit. Cum autem doctrina et praxis subsequens non censent nocumentum afferri ministerio paroeciali, si « finis legis » obtinet, devotio nimirum et instructio fidelium, etsi alio medio quam ministerio paroeciali, hoc practice iam amisit antiquam praecedentiam [5]. Si candide mentem manifestare mihi licet, dixerim, etiam *systema* iuris codicis innuere curam animarum paroecialem, multis iuris cautelibus specialibus circumdatam, aliis curis secundariis praevalere. Quidquid sit, *praxis* hodierna canonem 609 § 3 tunc tantum applicabit,

---

diei celebritatem cum doctrina christiana componere, ne altera alteri sit impedimento. Quod si regulares, et exempti contradixerint, et sanctum hoc doctrinae opus, licet ab episcopis prius admoniti, suis functiones perturbare praesumpserint, nostram locorum ordinariis auctoritatem, quà potimur in exemptos, pollicemur; nec aliae pontificiae vigilantiae deerunt remedia, ne parochiales ecclesiae debitis fraudentur obsequiis ».

[5] VERMEERSCH *l. c.*: « Parochus cuius munus est, post episcopum, catechismum docere et evangelio pascere populum suum, quin id cum fructu faciat a regularibus impediendus non est. Rursus autem integrum est religiosis fideles ad suas missas et praedicationes admittere, etsi, quo maior sit in una ecclesia frequentia populi, eo minor per se futura fuerit in aliis ecclesiis: quod tamen detrimentum multis bonis compensatur. Nam caput, tandem aliquando, est, ut populus devotione crescat, et audiat explanationem catechismi et evangelii. Secundarium est, utilitatem istam hic potius quam alibi procurari ».

quando religiosi non ipsi ministerio paroeciali nocumentum intulerint, at fini per illud obtinendo, quod vix obtinebit, eo minus quia, si Ordinarius loci praeceperit, opportunis datis instructionibus, ut diebus festis de praecepto in missis, quae fidelibus adstantibus in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat, tenentur hac lege etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis (can. 1345).

Neque in permissione constituendae novae domus regularibus clericis dandae, vi canonis 497 § 2, Ordinarii eximere possent saltem oratorium publicum neque in illa conditiones apponere quae laederent iura superioribus quoad functiones sacras ibi celebrandas ipso iure communi concessa. Utrum regulares, cum domum aperiunt, pactum inire possint cum episcopo, quo sese obligent ad limitandas vel certo modo praefiniendas functiones, quae nocere possent functionibus paroecialis ecclesiae, erat quaestio iam ante codicem variis sub aspectibus disputata [6]. Videtur ne ipsos regulares renuntiare posse iuribus eorum ecclesiis et oratoriis publicis iure communi concessis; pactum inire valent tantum de iis, quae liberae ipsorum dispositioni sunt relicta.

Quod attinet *ecclesias et oratoria publica non exempta,* sive religiosorum sive confraternitatuum

---

[6] Eam succincta, pluribus allatis auctoribus tractat PIATUS MONTENSIS, *Praelectiones iuris regularis,* ed. 3. tom. 2. Tornacii (1906), quaest. 195 pag. 144 et quaest. 271 pag. 223/4.

vel piarum unionum sive aliorum, quae iurisdictioni Ordinarii subiecta sunt, hic vi citati canonis 1171 ius habet statuendi normas speciatim circa horam sacrorum rituum, etiam missarum, in quibus normis statuendis abs dubio iure suo utitur si normae potius favent assistentiae missae dominicali paroeciali, prohibendo v. gr. ne in ecclesiis et oratoriis publicis missae ceteraeque functiones celebrentur paulo ante, aut paulo post missam paroecialem, aut simul cum ea [7]. Alia quaestio est, utrum huiusmodi prohibitio unquam opportuna esse possit; aliquando usus magis practicus iuris Ordinariorum erit, ita praefinire horam missarum in variis ecclesiis, ut fidelibus toto tempore impletioni

---

[7] Benedictus XIV *l. c.* (supra nota 5) § 14: « Sitae quandoque sunt in agro parvae, humilesque ecclesiae, aliae parochiali proximae, aliae vero longo intervallo disiunctae, ad quas diebus festis patresfamilias una cum liberis accedunt, sacerdotem sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suae parochiae numquam fere intersint, nec ullum de mysteriis fidei, de praeceptis, de sacramentis verba accipiant. Episcopus huic malo occurret, suamque obiiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas ecclesias parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea sacrificium faciat, quam parochus missam celebraverit, sermonem habuerit, caeterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto ecclesia parochialis confluentium parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas ecclesias a parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, parochianos ob locorum distantiam... parochialem adire...: decernat episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod sacerdotes ibi operantes christianae doctrinae summam populo tradant, divinamque legem annuntiant... ». Haec omnino correspondent iis, quae pro sua dioecesi ut archiepiscopus Bononiensis anno 1735 statuerat: Benedictus XIV, *Institutiones, Institutio* XLIV. *De publicis sacellis in dioecesi positis. Quibus diebus minime liceat sacra in illis perficere. De illis sacellis in quibus permitti potest missae sacrificium, antequam in parochia celebretur*: *Opera omnia,* Prati 1844, tom. 10, pag. 201/3.

praecepto missae festivae utili occasio assistendi sacro praebeatur [8].

2. *De oratoriis semipublicis.*

Oratoria semi-publica, in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erecta, quaeque adire non cuique est liberum (can. 1188 § 2 2°), solent esse ea erecta in collegiis, aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lyceis, arcibus, praesidis militum, carceribus, xenodochiis, etc. (can. 1192 § 4). Quaedam publicitas loci etiam pro erigendo oratorio semi-publico requiritur: doctrina tempore introducti codicis communiter admissa statuebat, huiusmodi oratoria exsurgere in domibus vel locis publicis, loca *religiosa* et *pia publica* dictis. Locum *religiosum* vocabant

---

8 Distinctius quam alii commentatores codicis REGATILLO rem illustrat, *l. c.* (supra nota 4) vol. 2. num. 19bis pag. 17/9: « Ordinarius loci, ad prohibenda divina officia tali hora in ecclesiis non paroecialibus, regi debet principio maioris boni animarum, aliis canonibus statuto (c. 542, 2°; 1. 162 § 3; 2. 162); ideoque, quamvis concursus populi ad catechesim vel homiliam pastoralem possit aliquid pati, illa prohibitio forsan non esset opportuna, si in alia ecclesia catechesis et praedicatio convenienter traditur ». « In civitatibus et oppidis magnis fortasse non expediat, nam oportet ut fidelibus maior facilitas praebeatur audiendae missae, secus multi tepidi nec missam nec doctrinam nec evangelium audient, ut experientia constat. De facto, Ordinarii loci, si quando illam prohibitionem statuunt, excipere solent civitates et oppida magna ». Idem eadem exponit in *Ius sacramentarium,* ed. 2. Santander 1949, num. 205 pag. 123/5: « *Horarium missarum* potest iusta de causa ab Ordinario loci praefinire, nisi agatur de ecclesia vel oratorio religionis exemptae, v. gr., ut in commodum populi missae bene distribuantur (c. 1.171) ».

quemcumque sedis apostolicae vel episcopi auctoritate erectum et deputatum ad opera misericordiae et pietatis, ut seminaria episcopalia, monasteria, domus congregationum religiosarum, locum *pium* quemcumque religionis vel pietatis aut misericordiae operibus destinatum, licet ecclesiasticae auctoritatis interventu destitutum, inter loca autem pia alia dicebantur *publica,* alia *privata*: haec dependebant undequaque a privatorum hominum libitu, illa e contra erigebantur a communitate aut gubernio vel saltem illis accedebat publica civilis auctoritas, ut erant multa hospitalia, nosocomia, orphanotrophia, gerontocomia, xenodochia, loca confraternitatuum laicalium, collegia iuvenum, conservatoria puellarum, carceres publici etc.[9]. Aeque iure Codicis requiritur, ut destinatio loci in commodum alicuius coetus vel communitatis publice et iuridice quoque sat firma ac tuta sit; in loco enim undequaque a iure privatorum dependente, etsi hi pro libitu suo etiam alios homines vel communitatem hominum admittere velint, oratorium privatum, non autem semi-publicum permitti posset.

Duplici proinde nota oratorium semi-publicum a publico distinguitur: altera respicit ius in locum, altera reservationem seu destinationem cultui publico. Locus, sive sit in dominio publico — auctoritatis ecclesiasticae vel civilis — sive alicuius corporationis sive etiam privatorum, modo sat stabili etiam iure sancito destinari debet usui et utilitati publicae non omnium, sed determinato coetui

---

[9] Van Gameren *l. c.* (supra nota 3) pag. 305/8; F. P. Van de Burgt, *De ecclesiis,* ed. 2, Ultrajecti 1874, pag. 194.

hominum, quin ceteri ullum ius praetendere possint illum ingrediendi. Hoc statu iuridico praesupposito, auctoritas ecclesiastica in tali loco concedere potest erectionem oratorii semi-publici, cuius tamen reservatio ad cultum minoris est solemnitatis ac firmitatis.

Atqui, constans supra expositis de iure fidelium adeundi oratorium publicum, nunc a pari arguens concludo concessionem et erectionem oratorii semi-publici nullatenus mutare statum iuridicum praesuppositum, speciatim nihil tollere vel addere iuri eorum, qui dominium loci ante talem erectionem habebant illudque post eam retinent, permittendi scilicet pro libitu vel recusandi ingressum iis, qui ad illum ius non habent. Haec facultas, instituto oratorio semipublico, nullatenus cedit qualicumque auctoritati ecclesiasticae. E quibus ultro sequitur, Ordinarios locorum iurisdictione sua uti numquam et nullibi posse ad eos, qui locis oratoriorum semi-publicorum praesunt, prohibendos quominus admittant extraneos, etiam ad missas diebus dominicis et festis in oratorio celebrandas. Omnino liberum est directoribus collegiorum, hospitalium, carcerum etc. homines quoscumque voluerint admittere ad locum, ad oratorium et ad missas, rationem hac de re, si quam debent, supremae directioni instituti reddituris, non autem praesulibus ecclesiasticis.

Hanc doctrinam correspondere iis, quae valere censebantur in iure statim ante codicis promulgationem vigente, textu quidem omnino formali ac

explicito probare non possum, cum nullum invenerim canonistam, qui ipsis verbis dicat Ordinarios non posse prohibere superiores eorum locorum, ubi oratoria semipublica inveniuntur, ut extraneos ad illa admittant. Implicite tamen ac aequivalenter fere id docent auctores, ubi dicunt ingressum in oratoria privata — quae comprehendebant etiam ea quae iure hodierno vocantur semi-publica — dependere a licentia, expressa vel tacita, dominorum illorum locorum vel aliorum, qui ius habebant de illis disponendi[10]. Immo, ad quaestionem, utrum fidelibus prohiberi possit aditus ad oratoria semi-publica, respondetur, rectores institutorum, ubi haec oratoria erecta sunt, certo certius por-

---

10 PAUL HINSCHIUS, *System des katholischen Kirchenrechts ...*, tom. 4, Berlin 1888, § 218 III, pag. 340: « Jeder Katholik hat das Recht, den öffentlichen Gottesdiensten, d. h. solchen, welche in den öffentlichen Kirchen und Kapellen gehalten werden, anzuwohnen ... Was dagegen die Privatkapellen betrifft, so ist das Betreten derselben, da sie allein für die Bedürfnisse des Eigenthümers oder einer besonderen Personenklasse bestimmt sind, von der ausdrücklichen oder stillschweigenden Genehmigung des Eigenthümers oder des sonstigen Verfügungsberechtigten abhängig ». Tamen idem auctor *o. c.* § 214 in fine, pag. 318, de oratoriis quae non existunt in domibus privatis quaeque ideo publica vocat — hodie autem semi-publica sunt dicenda — affirmat: « Es können also auch die Gläubigen, soweit sie nicht durch das Kirchengesetz gehinderd sind (z. B. Frauen an der Theilnahme des Gottesdienstes in den innenhalb der Klausur belegenen Oratorien in Mannsklöstern) der Bischof oder der Obere der Anstalt Nichtangehörigen den Zutritt verbietet, dem Gottesdienst beiwohnen und ihrer Pflicht in Bezug auf die Messe genügen ». Ipse quidem ad dicta probanda invocat auctoritatem cl. Van De Burgt; hic autem tale ius episcoporum, nedum affirmet, potius implicite negat. De cetero rationes quas ipse Hinschius affert, omnes respiciunt facultatem ipsorum rectorum institutorum arcendi extraneos.

tas extraneis claudere posse; Ordinarios autem locorum non habere potestatem oratoria haec inepta reddendi, ut in iis praecepto satisfieri possit. Quod fere idem est ac dicere, iudicium de extraneis admittendis vel non admittendis ad solos superiores locorum, non ad Ordinarios pertinere [11].

Etiam de oratoriis semi-publicis in domibus religiosis erectis analogae valent regulae; facultates quas superiores communitatuum religiosarum habent admittendi, iuxta normas a iure definitas, extraneos in domum suam, non tanguntur ullo modo erectione oratorii semi-publici, neque vi talis erectionis extenditur vigilantia observationis clausurae quae Ordinariis locorum a canonibus est commissa; inde si superiores religionis exemptae vel clericalis iuris pontificii in admittendis ad oratoria

---

[11] Van De Burgt, *l. c.* (supra nota 9), num. 240 pag. 205, postquam scripsit: « Interim donec Sancta Sedis aliter disponat vel declaret, tuto servatur... quod in oratoriis carcerum, confraternitatum, hospitalium, et communitatum quicumque audientes missam satisfaciunt », pergit: « Affinis propositae disputationi alia quaestio est. Expedit, ne monitis salutaribus et institutione careant fideles, ut praeter incolas aedis publicae non ibi permittantur alii missam diebus dominicis et festis audire. Non id sane dubitatur, sitne superioribus loci publici facultas excludendi ab aedibus homines alienos. Sed quaeritur, possitne episcopus oratoria illa ad satisfaciendi inibi praecepto, inepta reddere. Ut quod mihi, inconsulto forte, videtur candide aperiam, non esse eam episcopis potestatem suspicor. Cum enim posueris, posse ibi ex pontificia aliqua ordinatione, puta Synodus Tridentinae aut S. Congregationis Concilii decreto, vel ex universali consuetudine satisfieri ecclesiastico praecepto, legem habes generalem, superiorem potestate episcopi, quamque propterea temperare episcopis haud datum est; cum autem posueris, minime posse inibi adimpleri praeceptum, episcopalis ordinatio locum ineptum non facit ».

semi-publica sua hominibus normas clausurae laederent, Ordinarius loci ius, imo officium habet rem statim ad S. Sedem deferendam (can. 617 § 1); si superiores religionis laicalis iuris pontificii id fecerint, et admoniti non providerint, Ordinarius loci per se provideat et decretum ad S. Sedem referat (can. 618 § 2 2° iuncto can. 604 § 3); in domibus religionis iuris dioecesani, cuius superiores ut religiosi seu vi voti potestati eius dominativae (ut mihi saltem praeplacet; multi tamen canonistae etiam hanc potestatem Ordinarii iurisdictionem vocant) subsunt, latius se extendit libertas eius praecipiendi in hac materia quoque, relicta tamen facultate superioribus admittendi eos, quos ex iustis ac rationabilibus causis admitti posse censuerint, quippe quae ipso iure communi iis tribuitur (can. 604 § 1).

Praeterea, ut patet, si quae sunt oratoria semipublica, quae ab Ordinario loci dependent non ratione eius iurisdictionis, at ratione cuiusdam alterius tituli, puta quia ipsius est proprietas loci vel quia regimen seu administratio ipsi commissa est, vi huius tituli liberum ei est arcere ab ingressu loci et oratorii omnes, qui ius ad illum non habent.

In oratoriis semi-publicis, legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit (can. 1193). Ordinarius functiones limitare potest, servato iure communi; nequit v. gr. prohibere, ne missa ibidem dicatur, vel vetare ne praeceptum ibi a quocumque adimpleri posset;

videtur posse missarum numerum limitare [12], vel statuere ne sacrum fiat diebus solemnioribus. Semel vero erecto oratorio limitationes poni nequeunt [13]. Mens canonis utique est, ut eae ponantur limitationes, quae correspondent conditioni loci et indoli communitatis cui oratorium destinatur [14]. Non tamen iure suo abuteretur Ordinarius, qui, concedens oratorium semi-publicum, et sufficienter providens necessitatibus illius communitatis seu coetus, cui inservire debebit, quasdam limitationes apponit quae natae sint praecavere notabilia nocumenta, quae probabiliter praevidentur oritura assistentiae missae dominicali paroeciali.

---

12 REGATILLO, *l. c.* (supra nota 4) vol. 2. num. 34 pag. 28; PETRUS GASPARRI, *Tractatus canonicus de sanctissima Eucharistia,* tom. 1, Parisiis-Lugduni 1897, num. 220 pag. 153: « His omnibus positis, episcopus, etiam absens e dioecesi, licentiam dare potest ut in oratoriis domus non privatae missa celebrari valeat. In hujus licentiae concessione potest utique limitationes apponere, e. g., ne missa celebretur certis diebus et horis, ut una tantum missa celebretur etc.; sed si nullas limitationes suae permissioni addiderit, possunt in illis oratoriis plures quoque missae celebrari, etiam ab extraneis, etiam in festis solemnioribus, et omnes assistentes satisfaciunt praecepto ».

13 FELIX M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* vol. 1. ed. 6. Taurini 1953, num. 708, 6 pag. 667.

14 FRANCISCUS XAV. WERNZ, *Ius decretalium ...,* tom. 3 pars 2 ed. 2, Romae 1908, num, 159 pag. 106: acto de oratorio privato, scribit: « Quae rigida restrictio sacrarum functiorum non est facienda in oratoriis domesticis, quae semipublica appellari possunt velut oratoria in palatiis episcoporum et cardinalium ..., in monasteriis virorum religiosorum atque monialium congregationum religiosarum, quae legi clausurae papalis non subiiciuntur, aut in aliis institutis *piis* vel *publicis* cum praevia licentia episcopi v. g. in seminariis, hospitalibus, carceribus. Quibus in institutis accurate servandae sunt ordinationes *episcopi,* qui pro prudenti suo arbitrio attenta *natura* oratorii maiori minorive ambitu functiones sacras permittere potest ».

Quae exposuimus, confirmari videntur responso, ab Em.mo Cardinali Massimi p. m., praefecto Commissionis Codicis, die 5 martii 1954, dato de canone 821 § 3, qui statuit ut in omnibus religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate Sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales missas vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare possit et sacram communionem patentibus ministrare. Facultas haec fuit concessa Motu proprio S. Pii pp. X anno 1907; sequenti vero anno S. Officium, die 26 novembris, ad quaestionem utrum indultum importaret facultatem tres missas, vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis oratoriorum ianuis,* respondit: Negative. Etsi responsum, prout sonat, aliud dicere non videtur, quam quod aperire ianuas oratorii durante celebratione missarum non est facultas concessa illo indulto S. Pii X, aliis verbis, quibusnam oratoriis liberum esse aperire ianuas vel non, aliunde, non ab indulto esse desumendum, tamen communis interpretatio doctorum plus docebat, missas scilicet celebrandas esse ianuis clausis. Imo quidam hoc valere etiam post editum codicem affirmabant. Huic quaestioni nunc respondit Em. Cardinalis, qui, interrogatus utrum declaratio S. Officii d. 28 novembris 1908 adhuc valeret, et, quatenus affirmative, utrum hoc secumferret extraneos esse excludendos ab assistentia missarum, rescripsit nullam apparere rationem quare extranei non possent admitti vel ianuae teneri

apertae, cum ipso canone nullum huiusmodi vetitum contineatur [15].

Mens responsi esse nequit, vi canonis 821 § 3 concedi iis, qui hisce oratoriis praesunt, facultatem admittendi extraneos vel aperire ianuas, confirmat autem, etiam in hoc casu speciali talem facultatem correspondere conditioni iuridicae loci in quo oratorium existit.

Habetne Ordinarius loci ius, etiam in oratoriis semi-publicis, praefiniendi praesertim horas sacrorum rituum, iusta de causa, et praecipiendi ut diebus festis de praecepto in missis brevis evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat? Iure communi res non decernitur, cum canones citati 1171 ac 1345 tantum agant de sacris aedibus legitime dedicatis respective de ecclesiis vel oratoriis publicis. Attamen, quia functiones exercendae in oratoriis semi-publicis, si ea quae sunt clericorum exemptorum excipis, manent sub iurisdictione episcopi, neque ullo canone vel decreto iuris communis haec iurisdictio in subiecta mate-

---

15 « Non si vede come possa sostenersi che nella sacra funzione di cui al citato canone, non possano ammettersi gli estranei, anzi non possano tenersi le porte aperte, non essendovi di tal divieto alcun cenno nello stesso canone che regola tale materia ». Responsum cum commentario publicaverunt XAVERIUS OCHOA. *De missis quae nocte Nativitatis Domini in religiosis et piis domibus celebrari possunt. Responsum Pontificiae Commissionis Interpretis, vi can.* 821 § 3 *missas celebrari posse « apertis ianuis » declarans,* in: *Commentarium pro religiosis et missionariis,* ann. 35, 1934, vol. 33, pag. 329-352; E. BERGH, *La messe de minuit à Noël dans les communautés religieuses,* in: *Nouvelle Revue Théologique,* tom. 77, 1955, pag. 188-190.

ria excluditur vel limitatur, puto hoc ius ei agnoscendum esse, praesertim quod praedicationem attinet, si gravis ratio instructionis religiosae, sive eorum, quibus oratorium semi-publicum per se destinatur, sive sat notabilis numeri fidelium, qui in huiusmodi oratoriis forte praecepto satisfacere solent, id suaderet. Hora autem missarum imprimis commodo coetus, cui oratorium semi-publicum destinatur, adaptanda erit.

Insuper ius, immo et officium Ordinariorum locorum erit, reprimere abusus qui forte in hac re oriri possent. Non utique abusus vocari poterunt simplex observatio iuris communis eiusque consequentiae. Quod rectores collegiorum aliquando invitant parentes alumnorum vel magistros, superiores religiosae admittunt benefactores, quod homines, aliquo speciali vinculo instituto quodam coniuncti, etiam frequentius celebrationi missae festivae in oratorio semi-publico instituti assistunt, haec omnia et similia omnino iuri correspondent, vel saltem positive admittuntur in systemate disciplinae hodiernae. Evidens est, legislatorem universalis ecclesiae, statuendo praecepto missae festivae satisfieri posse etiam in pluribus locis extra ecclesiam paroecialem, praevidisse plures homines de facto non assisturos esse missae paroeciali; etsi ius vigens semper favet ministeriis paroecialibus, ac frequentationem missae paroecialis omnibus fidelibus suadet, non tamen id praecipere voluit. Abusus, qui revera contrariis sunt disciplinae hodiernae, tunc tantum adessent, si in ecclesiis non paroecialibus et in oratoriis non observa-

rentur quae a iure communi vel legitime, iuxta supra exposita, ab Ordinariis locorum sunt statuta, vel etiam, quando, etsi nullum statutum laeditur, in oratoriis functiones exercerentur ac passim extranei admitterentur eo modo eaque frequentia, quae notabiliter excedunt mensuram rationabilem. Rectori alicuius seminarii vel collegii, qui diebus dominicis et festis in proprio oratorio semi-publico tot missas celebrare facit ac tantum numerum fidelium admittit ut fere oratorium publicum ipsamve ecclesiam paroecialem regere videretur, Ordinarius loci, si rector non ab eius iurisdictioni exemptus est, indubie modum ac mensuram rationabilem observare iubere potest.

Si demum concludere tenemur, fideles vix per viam legum particularium et praeceptorum, vi iuris vigentis, constringi posse ut missam dominicalem et festivam in propriis paroecialibus ecclesiis frequentent, id multum dolendum esse minime videtur, ne iis quidem, qui propagationem vitae communitatis paroecialis, quae communi celebratione liturgiae in propria ecclesia cum proprio pastore fovetur ac manifestatur, medium optimum habent ad nutriendum, immo multis in locis resuscitandum genuinum spiritum christianum, cum huic fini obtinendo parum omnino coactio et disciplina prosint, multum autem zelus personalis parochorum in functionibus sacris maxima cura celebrandis, eorumque pastoralis sollicitudo in iis ministeriis obeundis, quae, ipsis solis iure reservatis, optimas praebent occasiones parochianos arcte cum propria paroecia coniungendi.

Petrus Huizing, S. I.

MONUMENTA

10 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* xxxxvii [28 ian. 1955] p. 5)

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES AC DILECTOS FILIOS ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS CETERUMQUE CLERUM AC POPULUM SINARUM, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PATERNA IMPERTIUNTUR HORTAMENTA IN PRAESENTIBUS RERUM ANGUSTIIS.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad Sinarum gentem, Nobis sane carissimam, ac peculiari modo ad vos, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, qui catholicam religionem profitemini, Apostolicam Epistulam « Cupimus imprimis »[1] fere tribus abhinc annis idcirco misimus, ut non modo vobis significaremus vestros Nos participare

[1] *A A. S.* XXXXIV, p. 153 sq.

angores, sed ut etiam vos paterno adhortaremur animo ad omnia christianae religionis officia strenua illa fidelitate obeunda, quae interdum heroum fortitudinem postulat; atque in praesens, supplices Nostras una cum vestris precibus ad Deum Omnipotentem ac misericordiarum Patrem iterum admovemus, ut « quemadmodum post tempestates ac procellas iterum sol affulget, ita Ecclesiae vestrae post tot rerum angustias, perturbationes, dolores, pax, tranquillitas, libertas tandem aliquando »[2] illucescat.

S. P. Sinarum christifidelibus pacem auguratur.

Postremis autem hisce annis Catholicae Ecclesiae condiciones apud vos neutiquam in melius fuere mutatae; quin immo insimulationes et calummiae increbruere in Apostolicam hanc Sedem illatae, in eosque qui erga eam retinet fidelitatem suam; Apostolicus Nuntius, qui Nostram apud vos gerebat personam depulsus est; auctaeque insidiae eo contenderunt ut ii, qui veritate minus instructi essent, deciperentur.

Catholicae Ecclesiae condiciones apud eos in peius sunt mutatae.

Attamen — quod iam vobis scribebamus — « id genus insidiis, etsi callidis, etsi obtectis, etsi veritatis specie fucatis, firmam opponitis voluntatem vestram »[3]. Novimus quidem haec verba Nostra ad vos pervenire non potuisse; atque adeo eadem per has litteras libenter vobis iteramus; ac novimus etiam, summo cum animi solacio, hoc in proposito vestro vos stabiles permansisse ac nullis umquam fuisse nisibus ab unitate Ecclesiae sevocatos; qua quidem de causa etiam atque etiam

---

[2] *Ibidem*, p. 157.
[3] *Ibidem*, p. 155.

vobis gratulamur vobisque debitam tribuimus laudem.

R. P. Sinenses adloquetur ut eius verba omnibus qui sibi constantes fortiter in veritate perseverant, solacio sint atque hortamento; ceteris vero lucem ac pontificia paterna monita afferant.

Verumtamen, ut solliciti esse debemus de aeterna uniuscuiusque salute, haud possumus animi Nostri aegritudinem anxitudinemque dissimulare, cum noscamus inter vos, etsi fides catholica communiter firmo retineatur animo, non defuisse nihilominus qui vel bona fide ducti, vel timore victi, vel novis fallacibusque doctrinis capti, recens etiam insidiosis detrimentosisque principiis adhaeserunt, quae ab adversariis provehuntur cuiusvis religionis, ab eiusque imprimis, quae a Iesu Christo divinitus tradita fuit.

Quamobrem officii Nostri conscientia postulat, ut vos iterum per Encyclicam hanc Epistulam alloquamur, fore confisi ut eadem in notitiam vestram pervenire queat; iisque omnibus, qui sibi constantes fortiter in veritate in virtuteque perseverant, solacio sit atque hortamento; ceteris vero lucem ac paterna monita Nostra afferat.

Sinarum catholici nulli prorsus cedunt in nobilissimae patriae suae amore.

Ac principio, quandoquidem in praesens quoque, ut iam antiquitus eveniebat, ii qui christianos insectantur, eos fallaciter coarguunt, quasi patriam non adament suam, neque probi sint cives, heic iterum asseverare cupimus [4] — quod ceteroquin omnes, quotquot recto iudicio ducuntur, non agnoscere non possunt — Sinarum nempe catholicos nulli prorsus cedere in nobilissima patria sua incenso amore impensaque fidelitate prosequenda. Quae quidem Sinensium gens — ea repetere libet, quae in memorata Epistula Apostolica dilaudando

[4] Cfr. *Ibidem*, p. 155.

scripsimus — « inde a remotissimis temporibus et rebus gestis, et litterarum monumentis, et humanae culturae fulgore inter ceteros Asiae populos enituit, quaeque, cum Evangelii lumen, saeculi sapientiam in immensum exsuperans, ipsi illuxit, maiora inde hausit animi ornamenta, christianas nempe virtutes, quae civiles perficiunt atque confirmant » [5].

Ii publicis suis magistratibus in rebus quae ad eos pertineant diligenter obsequuntur at occasione data, apertissime asseverant se nullo modo posse Deo eiusque Christo fidem negare.

Ac praeterea hoc quoque laudi vestrae tribuendum putamus, vos nempe in cotidiano diuturnoque rerum discrimine, in quo versamini, recta prorsus incedere via, cum publicis magistratibus vestris, ut christianos addecet, in rebus quae ad illos pertineant, diligenter obsequamini, et cum patria caritate permoti, omnibus civium officiis sedulo obtemperare curetis. At illud etiam noscere summo Nobis solacio est, vos videlicet, occasione data, aperte asseveravisse atque adhuc asseverare nullo modo vobis licere a catholicae religionis praeceptis discedere, nulloque modo vos posse Creatori ac Redemptori vestro fidem negare, ab eoque deficere, cuius causa cuisque amore non pauci ex vobis cruciatus quoque et carceres tolerarunt.

Ut iam, datis litteris, vobis scripsimus, Apostolica haec Sedes, hac praesertim recentiore aetate, summa sollicitudine curavit ut quam plurimi et sacerdotes et Episcopi, e nobili gente vestra orti, rite instruerentur ac formarentur. Itaque proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI primos Episcopos sex, vestro ex populo delectos, in Petrianae Basilicae maiestate ipsemet consecravit;

5 *Ibidem*, p. 153.

ac Nosmet ipsi, cum nihil antiquius habeamus, quam ut Ecclesiae vestrae incrementa cotidie magis constabiliantur fiantque maiora in dies, libentissime Ecclesiasticam Hierarchiam in Sinis rite constituimus; et civem vestrum, primum in historiae annalibus, Romanae purpurae dignitate decoravimus [6].

Nonnulla enumerantur ex iis quae Apostolica Sedes fecit ut Antistites et sacerdotes qui Catholicam Ecclesiam apud eos regere ac moderari debeant e Sinarum gente sint.

Atque utinam quam primum dies elucescat — hac de causa incensissima vota supplicesque preces ad Deum fundimus — quo die apud vos quoque sacrorum Antistites ac sacerdotes omnes, qui e gente sint vestra ac necessitatibus sint pares, catholicam Ecclesiam queant in immensis regionibus istis regere ac moderari, atque adeo iam necesse non sit ut Missionales, ex aliis Nationibus orti, in vestro apostolatus campo adiutricem vobis operam navent. Attamen veritas ipsa Nostrique officii conscientia a Nobis postulant ut haec vobis omnibusque diligenter animadvertenda proponamus: primum, hos Evangelii praecones, qui, dilecta patria cuiusque sua derelicta, suis laboribus apud vos suisque sudoribus dominicum excolunt agrum, non terrenis, rationibus moveri, sed nihil aliud quaerere, nihil magis optare, quam ut populum vestrum christianae doctrinae lumine collustrent, christianis moribus informent, supernaque caritate adiuvent; ac praeterea eo etiam die, quo adauctus tandem apud vos indigenarum clerus socia exterorum Missionalium opera non indigeat, non « regiminis autonomia », ut aiunt, in Natione vestra, sicut in ceteris, Catholicam regi posse Ec-

Tamen etiam cum Sinensis clerus Missionalium opera non indigeat,

[6] Cfr. *Ibidem,* p. 155.

clesiam. Etenim tunc etiam, ut probe nostis, prorsus necesse erit ut christianorum communitas apud vos quoque, si societatem a Redemptore nostro divinitus conditam participare velit, Summo Pontifici, Iesu Christi in terris Vicario, omnino subiecta sit, cum eodemque arctissime coniungatur, ad religiosam fidem et ad mores quod attinet. Quibus quidem verbis — ut dignum notatu est — universam vitam operamque Ecclesiae amplectimur; atque adeo etiam constitutionem eius, regimen eiusque disciplinam; quae omnia a Iesu Christi voluntate, Ecclesiae conditoris, procul dubio pendent. Qua profecto divina voluntate christifideles in duos ordines distribuuntur, clericorum laicorumque; eademque volutate duplex constituitur sacra potestas ordinis nempe et iurisdictionis. Ac praeterea — quod divinitus pariter statutum est — ad potestatem ordinis, qua Ecclesiastica Hierarchia ex Episcopis constat, presbyteris et administris, acceditur per acceptum sacri ordinis sacramentum; iurisdictionis autem potestas, quae Supremo Pontifici iure ipso divino directe confertur, Episcopis ex eodem provenit iure, at nonnisi per Petri Successorem, cui quidem non tantum christifideles, sed Episcopi etiam omnes et oboedientiae obsequio et unitatis vinculo constanter subici et adhaerere tenentur.

Catholica Ecclesia in Sinarum natione, sicut in ceteris, « regiminis autonomia » haud regi poterit.

Tunc etiam omnino necesse erit et christianorum communitas, clerici et laici Iesu Christi in terris Vicario prorsus subiciantur et cum eodem coniungantur ad fidem et ad mores quod attinet.

Ac denique divina item voluntate vetitum est ne populus, vel civilis potestas in Ecclesiasticae Hierarchiae iura constitutionemque invadant [7].

---

[7] Cfr. Conc. Trid., Sess. XXIII, *De Ordine,* can. 2-7; Conc. Vat., IV; C. I. C., can. 108-109.

Animadvertenda de « rei oeconomicae autonomia » in Catholica Sinensium Ecclesia.

Haec praeterea animadvertant omnes oportet, quod ceteroquin, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, vobis perspectum omnino est, Nos vehementer optare quam primum fieri posse ut Catholicae Sinensium Ecclesiae necessitatibus pares esse queant opes, quas ipsi Sinarum christifideles suppeditaverint; attamen, ut optime nostis, quae apud ceteras Nationes hac de causa corrogantur stipes, e christiana illa caritate oriuntur, qua ii omnes, qui Iesu Christi sunt sacro cruore redempti, et invicem fraterno foedere coniungantur oportet, et divino compellantur amore ad Redemptoris nostri Regnum usquequaque pro viribus propagandum. Id igitur non politicis rationibus, vel utcumque profanis causis inservit, sed eo tantum contendit, ut praeceptum caritatis, quod Iesus Christus nobis omnibus impertiit, et quo eius discipuli reapse dignoscuntur [8], ad effectum utiliter deducatur. Id volentes libentesque christiani nullo non tempore fecerunt, ut iam gentium Apostolus de christifidelibus Macedoniae et Achaiae testatur, qui quidem sponte largitiones suas ad « pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem » [9] mittebant; ad idemque agendum suos in Christo filios, qui Corinthi vel in Galatia commorabantur, Apostolus adhortabantur [10].

Ac denique nonnulli habentur apud vos, qui non modo, ut diximus, in regimine et in re oeconomica nulli prorsus subiectam esse volunt Eccle-

---

[8] Cfr. Ioann. XIII, 35.
[9] *Rom.* XV, 26.
[10] Cfr. *I Cor.* XVI, 1-2.

siam vestram, sed etiam in christiana impertienda doctrina et in sacris habendis contionibus quandam « autonomiam », ut aiunt, eidem vindicare contendunt.

Contionandi docendique ratio alia alibi esse debet.

Minime quidem infitiamur contionandi docendique rationem aliam alibi esse debere, atque adeo ad peculiarem Sinarum populi naturam, indolem traditosque antiquitus mores, quotiescumque fieri potest, conformandam esse; quin immo si ita debito modo agatur, uberiores profecto fructus apud vos edi possunt. Attamen — quod vel tantum cogitare perabsurdum omnino est — Evangelium, divinitus a Iesu Christo traditum, quonam iure possunt homines, alio in aliis Nationibus modo, pro arbitrio suo interpretari?

Sed « docendi autonomia » perabsurda est atque impia.

Sacrorum Antistitibus, qui Apostolorum successores sunt itemque sacerdotibus, qui iisdem adiutricem pro suo cuiusque officio navant operam, munus demandatum est Evangelium illud annuntiandi ac docendi, quod Christus ipse eiusque Apostoli annuntiavere ac docuere primi, et quod haec Apostolica Sedes omnesque Episcopi, eidem adhaerentes, per saeculorum decursum illibatum inviolatumque servarunt ac tradiderunt. Sacri igitur Pastores huius Evangelii non inventores auctoresve sunt, sed solummodo custodes ex auctoritate, ac praecones divinitus constituti. Quamobren Nosmet ipsi et Episcopi una Nobiscum hanc Iesu Christi sententiam iterare possumus ac debemus: « Mea doctrina non est mea sed eius, qui misit me » [11]. Atque omnibus cuiusvis temporis sacrorum

Sacri Pastores Christi Evangelii non inventores auctoresve sunt, sed solummodo custodes ex auctoritate et praecones divinitus constituti.

---

[11] Ioann. VII, 16.

Quicumque in Ecclesia docent non doctrinae ex humana mente hausta magistri sunt, sed eius quam Christus docuit et Apostolis suis eorumque successoribus docendam sollemni mandato tradidit.

Antistitibus hoc Apostoli Pauli hortamentum tribui potest: « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae »[12]; itemque haec eiusdem Apostoli sententia: « Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis »[13]. Non igitur doctrinae ex humana mente haustae magistri sumus, sed eam pro officii conscientia amplecti ac persequi debemus, quam ipse Christus Dominus docuit et Apostolis suis eorumque successoribus docendam sollemni mandato commisit[14].

Quamobrem qui veracis Ecclesiae Christi sunt Episcopi vel sacerdotes, illud etiam atque etiam animadvertere ac meditari debent, quod Apostolus Paulus de sua Evangelii praedicatione asseverabat: « Notum ... vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi »[15].

Atque etiam, cum certissimum Nobis sit hanc doctrinam, quam, Sancti Spiritus ope innixi, tueri integram debemus, divinitus fuisse traditam, haec Apostoli gentium iteramus verba: « Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit »[16].

---

12 *I Tim.* VI, 20.
13 *II Tim.* I, 14.
14 Cfr. MATTH. XXVIII, 19-20.
15 *Gal.* I, 11-12.
16 *Gal.* I, 8.

Facile igitur cernitis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, neminem posse catholico censeri ac gloriari nomine, qui alia aliter profiteatur vel doceat atque ea, quae hucusque presse scribendo proposuimus, ut qui perniciosis illis principiis adhaeserunt, quae « tribus autonomiis » informantur, vel aliis eiusdem generis.

Qui « tres autonomias » profiteatur catholico nomine censeri et gloriari nequit.

Ii, qui eiusmodi rem provehunt, summa quidem versutia ac calliditate eo contendunt ut, qui simplici vel pavido sunt animo, decipiantur, vel e recto abstrahantur itinere; quam ad rem fallaciter asseverant eos solummodo suam reapse amare patriam, qui Ecclesiae, quam ipsi mente effingunt, adhaereant, « autonomiis » nempe hisce fruenti. At revera, ut ad summam deveniamus, eo denique pro viribus spectant ut Ecclesia « nationalis », ut aiunt, apud vos constituatur; quae quidem Ecclesia, si fieret, iam catholica non esset, cum universitatem, seu « catholicitatem » illam negaret, qua fit ut vera societas, a Iesu Christi condita, supra omnes Nationes sit, easque singulas universas amplectatur.

Si « nationalis » Ecclesia quam aliqui callide intendunt in Sinis constitueretur iam Catholica, iam ea quam Redemptor condidit non esset.

Placet heic ea vobis iterare verba, quae, hac eadem de causa, in memorata Epistula Apostolica vobis scripsimus: Catholica Ecclesia « non unum populum, non unam gentem ad se advocat, sed omnes cuiusvis generis, cuiusvis stirpis homines superna illa Christi caritate diligit, qua singuli universi fraterna invicem necessitudine inter se coniungantur oportet.

Quamobrem nemo asseverare potest eam peculiari imperio ac dominatui servire; parique modo fas non est ab ea petere, ut diffracta unitate,

Catholica Ecclesia peculiari imperio ac dominatui minime servit.

qua Divinus ipse eius Conditor eam insignitam voluit, ac disiunctis in unaquaque Natione constitutis Ecclesiis, eaedem ab Apostolica hac Sede, ubi Petrus Iesu Christi Vicarius in Successoribus suis ad saeculorum usque obitum vivit, misere abstrahantur. Quilibet christianorum coetus id fecerit, veluti palmes a sua vite abscissus arescet [17], neque salutares poterit edere fructus » [18].

Si necessarium est id quod Caesaris, dare Caesari, potiore quoque ratione oportet quae Dei sunt Deo tribuere; oboedire oportet Deo magis quam hominibus.

Hos igitur christifideles, de quibus supra conquerendo scripsimus, etiam atque etiam « in visceribus Christi » [19] adhortamur, ut in salutis viam se quam primum resipiscendo recipiant. Reminiscant iidem, si necessarium est, id quod Caesaris, dare Caesari, potiore quoque ratione oportere, quae Dei sunt, Deo tribuere [20]; cum vero homines ea praecipiant, quae divinae voluntati contraria sint, tum necesse omnino esse hanc Petri Apostolorumque sententiam ad rem deducere: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » [21]. Ac reminiscantur itidem duobus dominis servire impossibile esse, si iidem res praecipiant sibi invicem adversantes [22]; atque interdum etiam impossibile esse Iesu Christo itemque hominibus placere [23]. Quodsi aliquando evenit ut, qui vult se Divino Redemptori fidelem usque ad mortem permanere, oporteat eum gravem quoque iacturam facere, id toleret aequo fortique animo.

---

17 Cfr. IOANN. XV, 6.

18 *A. A. S.*, XXXXIV, p. 135.

19 *Philip.* I, 8.

20 Cfr. LUC. XX, 25.

21 *Act.* V, 29.

22 Cfr. MATTH. VI, 24.

23 Cfr. *Gal.* I, 10.

Iis vero, qui, etsi asperas ferendo angustias, fidelitate erga Deum, erga Catholicam Ecclesiam enituerunt, quique idcirco « digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » [24], iterum atque iterum gratulamur, eosdemque paterno adhortamur animo ut rectum, quod inierunt, iter, fortes intrepidique pergant, Iesu Christi sententiam prae mentis oculis habentes: « ... Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ... Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere ... Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est » [25].

S. P. iterum atque iterum iis qui digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati gratulatur et ut perseverent adhortatur.

Haud leve sane certamen vobis est, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, divina lege impositum. Sed Christus Dominus qui beatos dixit eos qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, eosdem gaudere et exsultare iussit, quoniam merces eorum copiosa erit in caelo [26]. Ipse vobis quoque potentissimo auxilio suo benignus e coelo aderit, ut bonum certamen certetis et fidem servetis [27]; itemque praesentissima vobis omnibus tutela aderit Deipara Virgo Maria, Mater omnium amantissima. Ipsa, Sinarum Regina, peculiari modo Mariali hoc

Christus Dominus potentissimo eis erit auxilio; Deipara Virgo omnibus tutela aderit.

---

24 *Act.* V, 41.

25 MATTH. X, 28, 30-33.

26 Cfr. MATTH. V, 10-12.

27 Cfr. *II Tim.* 4, 7.

Anno vos tueatur et adiuvet, ut in proposito vestro constanti animo perseveretis; adsint e Caelo Sancti Martyres Sinarum, qui ob veracem terrenae patriae amorem ac potissimum ob fidelitatem erga Divinum Redemptorem eiusque Ecclesiam, mortem serena fronte oppetiere.

Interea autem caelestium gratiarum auspex et conciliatrix esto Apostolica Benedictio, quam peculiarissimae benevolentiae Nostrae testem, tum vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, tum carissimae Sinensium genti universae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VII mensis Octobris, in festo Sacratissimi Rosarii Beatae Mariae Virginis, an. MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

11. - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS*. XXXXVII [1955] pg. 218)

MONITUM S. OFFICII

DE MISSIS VESPERTINIS NON EXCESSIVE PERMITTENDIS

« Constat huic Supremae Sacrae Congregationi haud raro Missas horis postmeridianis celebrari ultra fines, quos Constitutio Apostolica « Christus Dominus » ad commune fidelium bonum recenset.

Itaque locorum Ordinarii licentiam ne dent celebrandi Missas horis postmeridianis ad exter-

nam dumtaxat solemnitatem decorandam aut in privatorum commodum.

Hac autem arrepta occasione, Sanctum Officium opportunum ducit in omnium memoriam revocare Constitutionem Apostolicam « Christus Dominus » vetare interpretationem, quae concessas facultates amplificet (cfr. AAS., vol. XXXXV [£ 953], p. 23).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 22 Martii 1955.

Marius Crovini, Notarius Supr. S. Congr. S. Officii ».

Annotationes

1. Res et obiectum MONITI tribus alinea exhibetur: 1) notatur, haud raro celebrari Missas vespertinas « ultra fines Constitutione Apostolica recensitos »; 2) huiusmodi Missae designantur Missae celebratae « ad externum dumtaxat decoramentum alicuius sollemnitatis » aut « in privatorum commodum »; ideoque non permittendae ab Ordinariis; 3) in omnium memoriam revocatur: ipsa Constitutione Apostolica vetari « facultatum concessarum amplificationem ».

2. Punctum centrale, ex quo omnia derivari et interpretatio MONITI mensuram sumere debent, sunt « *fines et limites* », in Documentis Pontificiis recensitis, sive in specie pro vespertina Missa, sive in genere pro tota nova « *Ieiunii eucharistici* » disciplina, cuius Missa et communio vespertina est pars, ideoque etiam normis « totius » subiecta.

3. In *Constitutione Apostolica* de fine intento haec habentur: VI. « Si verum adiuncta id *necessario postulant,* locorum Ordinariis concedimus, ut Missae celebrationem vespertinis, ut diximus, horis permittere queant » (AAS, 1953, pg. 23). Quoad territoria Missionum, in quibus speciales necessitates celebrandi Missam vespertinam occurrere possunt, amplior, ut fidelibus provideatur, conceditur Ordinariis locorum facultas. « Evangelii autem praeconibus, in territoriis Missionum, peculiarissimis perpensis condicionibus in quibus versantur, ob quas raro plerumque habentur sacerdotes, qui longinquas stationes invisere queant, Locorum Ordinarii eiusmodi facultates concedere possunt ceteris etiam hebdomadis diebus », (l. c.). — Similis rerum condicio, atque in missionibus, iuxta partem expositivam Constitutionis haberi potest etiam in aliis regionibus, in specie in sic dicta « diaspora », in quibus fideles saepe « sacerdotis adventum in seras horas exspectare debent, ut Eucharisticum participare queant Sacrificium » (AAS., 1953, pg. 19). At, etsi exstante eadem in his regionibus indulgendi ratione, non tamen eadem permittendi data est facultas. — Mens legislatoris quoad finem intentum et consequentur quoad limitem servandum elucet etiam ex iis quae dicuntur de « illis sollemnibus, quae cum magno populi concursu celebrantur », et in quibus celebratio Missae vespertinae ab Ordinario permitti potest. In eadem parte narrativa Constitutionis quoad hanc occasionem dicitur: « Hoc praeterea animadvertendum est saepe hodie contingere ut frequentissimae populi multitudines ex alio ad alium locum

postmeridianis horis horis ea de causa transgrediantur, ut religiosas celebrationes, vel coetus de re sociali habendos participent; si igitur hisce etiam datis occasionibus liceat *Eucharisticum peragere Mysterium,* quod divinae gratiae vitalis fons est voluntatesque iubet ad virtutem adipiscendam exardescere, haud dubium est *inde vim hauriri posse,* qua omnes ad christiane penitus sentiendum operandumque excitentur, et ad legitimis etiam obtemperandum legibus » (AAS., 1953, pg. 20).

4. Aliud criterium limitis, (iuxta *finem intentum* ponendi aut non ponendi) erui potest ex iis quae de totius Constitutionis fine, quem Legislator intendit, dicuntur, scl. « haud parum conferre ... *ad Eucharisticae pietatis incrementum,* atque aptius permovere atque excitare omnes ad Angelorum participare mensam » (AAS. 1953, pg. 21). Ibidem dein memoratur, ut hic finis melius obtineri possit, quam largissine novam legem esse adaptatam « peculiaribus etiam temporum, locorum ac christifidelium condicionibus ». Alio insuper eiusdem Constitutionis loco notatur : « Ea quibus vivimus tempora eorumque peculiares condiciones multa in societatis usum in communisque vitae actionem induxisse », quorum in mitiganda pristina lege ratio haberi debeat, ut removeantur difficultates, « quae possint homines a *divinis participandis mysteriis* abstrahere » (AAS., 1953, pg. 18).

Expressa tandem fit mentio « limitis servandi » immediate post n. VI (de Missis vespertinis) : « Locorum tamen Ordinarii curent, ut quaelibet vitetur interpretatio, quae concessas facultates am-

plificet, utque ab omni abusu et irreverentia hac in re caveatur » (AAS., 1953 pg. 23).

5. In correspondente INSTRUCTIONE S. Officii, eodem die 6. Ianuarii 1953 publicata, *limes* servandus et intentus *finis,* ex quo limes mensuram sumat, hisce designantur verbis: « Constitutionis vi Ordinarii locorum (cf. can. 198) facultate fruuntur permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem, si *adiuncta id necessario exigunt* ... *Bonum enim commune* aliquando sacrorum mysteriorum celebrationem post meridiem *expostulat* ... » (AAS. 1953, pg. 50). Extensio vero facultatum concessarum explicite in eadem Instructione reprobatur his verbis: 19. Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, *neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet* » (AAS. 1953 pg. 51). — In Instructione clarius et magis explicite notatur: Missam vespertinam exclusive in bonum *commune* non vero in bonum *privatum* posse permitti, (etsi negari non potest: in casu particulari hoc bonum privatum consistere posse in « pietate eucharistica promovenda » vel « in maiore fructu spirituali » ex vespertina celebratione hauriendo.

6. *Conclusio.* « Limes », his textibus vel explicite significatus vel ex iis deducendus, sic circumscribi potest: Locorum Ordinariis non est data facultas permittendi Missam vespertinam ad beneplacitum suum ex qualibet iusta causa, sed solummodo « *quando rerum adiuncta id necessario postulant* », idque non omnibus diebus, sed tantummodo diebus in CONSTITUTIONE taxative designatis, (aliter extra, aliter intra territorium Missionum).

« NECESSITAS » autem haec intellegitur « *bonum commune animarum* »; at haec necessitas non restringitur ad adimpletionem stricti praecepti, (die festo de praecepto). Permitti enim potest Missa vespertina etiam multis diebus, quibus nulla est obligatio audiendi Missam. « *Necessaria* » dici potest Missa vespertina etiam quoad augendam « Eucharisticam pietatem », sive in participando sacrificio Missae, sive in sacra synaxi, occasione Missae vespertinae recipienda. Huiusmodi enim « necessitas » non est extra, sed intra finem in Constitutione assignatum. Explicite enim « eucharistica pietas » promovenda nominatur in CONSTITUTIONE tamquam *finis,* propter quem tota nova disciplina sit introducta. Si ergo coetui fidelium, serio et iuste participationem Sacrificii Missae desideranti, satifieri nequit, nisi permissa Missa vespertina, illa « NECESSITAS » verificatur, propter quam diebus taxative designatis eius celebratio permitti potest. — Neque extra finem intentum, (seu : extra necessitatem sic intellectam; extra bonum commune animarum) est missa vespertina, celebrata in magno populi postmeridiano concursu ad celebrationes religiosas vel ad coetus de re sociali habendos, si celebratur ut in iis non desit « Eucharisticum Mysterium, quod divinae gratiae vitalis fons est voluntatesque iubet ad virtutem adipscendam exardescere »; quam rationem explicite affert et adprobat ipsa Constitutio (l. c. pg. 20).

Unde patet : « *necessitatem communis boni animarum* » sat late intelligi posse et debere, scl. : de necessitate praecepti adimplendi, de necessitate satisfaciendi seriae et genuinae pietati eucharisti-

cae, de necessitate suppeditandi thesauros sacrificii Missae coetui fidelium magno concursu confluentium. Si autem in casu particulari sub nullo ex his respectibus apparet « necessitas boni communis animarum », permissio Missae vespertinae versatur extra limitem et finem, in ipsa Constitutione assignatum, et dici debet excessiva atque non probanda.

7. De *ritu et qualitate* Missae vespertinae — (utrum sit Missa lecta, Missa dialoga, Missa cantata, Missa solemnis, Missa Pontificalis) — neque in CONSTITUTIONE neque in INSTRUCTIONE directe et immediate quidquam statuitur; nihilominus etiam quoad hanc circumstantiam indirecte aliqua noirma ex CONSTITUTIONE derivari potest, scl. ex fine *intento,* in specie ex « necessitate boni communis fidelium », prout modo exposita est. Si electus modus Missae vespertinae huic fini secundum prudens iudicium inservit, versatur intra, et non extra limitem positum; si intentum et intendendum finem non promovet, sed potius impedit vel diminuit, modus mutari debet. Quod speciatim « maiorem sollemnitatem » spectat, non quaevis huiusmodi sollemnitas a limite reici debet; quamquam ordinarie Missa lecta fini magis inserviet. Non quamlibet enim solemnitatem (etiam Pontificalem) a Missis vespertinis, quia tales, debere excludi, derivari potest ex iis, quae in Decretis et normis S. C. Rituum de « sollemni vigilia Paschali instauranda » habentur. In huius Decreti adnexis ORDINATIONIBUS (d. d. 11 Januarii 1952) sermo est de Ordinario loci, « qui ipse sacram vigiliam paschalem celebrare voluerit », (qui in ipsa hac Missa vigiliae etiam

neopresbyteros, cum ipso Missam vigiliae concelebratoros ordinare potuerit (utrisque data facultate *die* Paschatis iterum celebrandi, postquam *nocte Paschatis iam celebraverint;* (AAS., 1952, pg. 51, n. 15. 13)*. Hae sollemnitates nocturnae — (vel etiam vespertinae, si vigilia paschalis anticipatur) — fiunt in Missa sollemni cum usu Pontificalium; nihilominus omnes haec « sollemnitates » censeri debent hac occasione versari non extra, sed intra limitem « necessitatis boni communis fidelium ».

8. In fine huius expositionis de « *fine et limite* » iuvat afferre verba ex Instructione S. Officii desumpta, quibus S. Officium Ordinarios et sacerdotes adhortatur, ex quibus verbis etiam S. Officii mens et interpretatio novi sui *Moniti* disci possunt: « Ordinarii et sacerdotes, qui datis a Sancta Sede facultatibus frui debent, *fideles studiose excitent, ut frequenter Missae Sacrificio adstare velint,* et pane eucharistico reficiantur opportunisque inceptis ..., illud *promoveant spirituale bonum, cuius adipiscendi gratia Summus Pontifex Pius XII Constitutionem edere voluit* » (AAS., 1953, pt. 51).

9. In primo iam alinea duo notantur: *a*) ipse *excessus* limitis, fine circumscripti; *b*) *frequen-*

---

* S. Sedem etiam Missam in anticipata vigilia Paschali, celebratam hora vespertina, comprehendere velle sub nova disciplina *Iejunii eucharistici* clare apparet ex Decreto S. Officii d. d. 7 Aprilis 1954 (*AAS.,* XLVI [1954] pg. 142). At quoad *hanc* Missam vespertinam non est per Ordinarium loci examinanda quaestio de *bono communi animarum,* nam ad hanc quaestionem responsum iam datum est ab ipsa S. Sede, quae in hunc finem Decreta de anticipata vigilia Paschali edidit.

tia huius excessus; dicitur enim talem excessum « *haud raro* » acidisse. In secundo alinea afferuntur in specie duo exempla excessus indebiti: 1) alterum Missae vespertinae permissae et celebratae « *ad externam dumtaxat sollemnitatem decorandam* », 2) alterum Missae, permissae « *in privatorum commodum* ».

Hanc enumerationem non esse *taxativam,* deduci debet ex iis quae supra de finibus intendendis et intentis dicta sunt. Qualescumque enim rationes et motiva, extra hos fines posita, non valent fundare et legitimare permissionem Missae vespertinae; huiusmodi autem rationes omnino plures esse possunt quae duae, exempli causa allatae, (e. gr. gratitudo erga insignes benefactores, anniversarii ratio alicuius defuncti, qui determinata hora vespertina gravi infortunio obiit). Si vero tales rationes cum rationibus et finibus legitimis coincidunt vel iunguntur, qui in Constitutione vel Instructione designantur, non est, cur permissio Missae vespertinae denegetur; tunc enim permissio datur propter has, non propter illas rationes; (quae ultimae quidem rationem causae *impulsivae,* non vero causae *motivae* habere possunt).

10. Reprobata ratio (scl. « *ad externam dumtaxat solemnitatem decorandam* ») non ulterius explicatur neque exemplo illustratur. Verba tamen ex se solis tria denotant: 1) solemnitatem quandam externam, 2) huius solemnitatis decoramentum per Missae vespertinae celebrationem, 3) hanc Missae additionem « *dumtaxat* » ad decorandum. Quod ultimum elementum quoad licentiam Missae vespertinae *denegandam* dici debet principale et decisivum.

Finis mere decorativus censendus est versari extra finem « boni communis animarum », prout in Constitutione Apostolica intellegitur et circumscribitur. Revera, dare licentiam Missae vespertinae ex sola ratione, ut celebratione alicui festivitati obtineatur sollemnior apparentia externa; ut maior adfluat multitudo adstantium, quae adfluit ut videat « spectaculum » quoddam novum et inusitatum; ut satisfiat alicui fidelium merae « ostentationis » desiderio, quod nullatenus provenit ex sincera pietate eucharistica et nil commune habet cum illo desiderio Christi: « *Hoc facite in meam commemoratione* »: ob solas huiusmodi rationes dare licentiam Missae vespertinae est « permittere » extra facultatis ambitum, a Pontifice designatum atque circumscriptum. Tale quid accidere *potest* e. gr.: occasione magni Congressus et adunationis; occasione captae possessionis dioeceseos per novum Episcopum; occasione installationis novi parochi; occasione ordinationis presbyterorum; occasione consecrationis episcopalis, etc. Si his similibusque aliis occasionibus Missa vespertina celebratur *unice* in eum finem, ut externa sollemnitatis species augeatur, ut maior adstantium multitudo alliciatur et ita externa « pompa et ostentatio » crescat: permissio Missae vespertinae est contra spiritum et voluntatem Pontificis, et novo *Monito* explicite, verbis non ambiguis, reprobatur. At non citius haec reprobatio in casu concreto enuntiari debet. Esse enim *potest*, ut in allegatis occasionibus Missa vespertina minime inserviat huic vel illi speciei « vanae gloriae », sed ut revera cedat in « *bonum commune fidelium* » vel satisfa-

ciat verae cuidam « *necessitati fidelium* », promoveat « *pietatem eucharisticam* »; maneat ergo omnino intra ambitum finis et facultatis, prout in Constitutione et in Instructione significantur. Neque contrarium est, quod his occasionibus per Missae vespertinae celebrationem *etiam* augeatur externum solemnitatis decoramentum. Ordinariorum erit dijudicare, utrum in casu particulari celebratio Missae vespertinae sit in *solam ostentationem externam,* an etiam (et obiective praevalenter) in *bonum commune fidelium;* in primo casu licentia iuxta novum Monitum debet denegari, in altero casu non ita.

11. Altera *Moniti* ratio reprobativa respicit « *privatorum bonum* », propter quod licentia Missae vespertinae fuerit concessa. *Bonum commune,* tamquam requisita ratio permittendae Missae vespertinae, clarius et magis explicite (ut supra iam dictum est) in Instructione S. Officii quam in Constitutione Ap. effertur; explicita « oppositio » inter *bonum commune* fidelium et *bonum privatum* singulorum nunc prima vice designatur. Quoad hoc punctum non idem valet de Missis vespertinis, atque de aliis novae disciplinae dispositionibus; nam plurimae ex his immediate datae sunt in « commodum privatorum », ut scl. ab iis removeantur impedimenta, ex severitate ieiunii eucharistici provenientia, quibus a frequenti et facili sacrae synaxis susceptione arcentur. Missae vespertinae autem immediate non ordinantur in privatum fidelium commodum, sed in fidelium bonum commune. *Bonum privatum,* quod non admittitur ut sufficiens ratio permittendi Missam vespertinam, intellegi

debet etiam bonum privatum *spirituale,* e. gr. privata, etsi vera pietas eucharistica; privatus maior fructus spiritualis sive propriae personae sive personae tertiae ex Missae sacrificio carpendus.

Occasiones, in quibus Missae vespertinae celebratio in « *commodum privatum* » (sive sacerdotis celebrantis sive personae audientis Missam) cederet, sunt sat frequentes. *Exempla*: Indulta Apostolica habendi oratorium (domesticum) privatum cum facultate celebrationis Missae, per se cedunt in bonum privatum eorum quibus Indultum conceditur. Dein secundum can. 822 § 4 Ordinarius loci, iusta ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus Missae celebrationem etiam in domo privata permittere potest; talis celebratio fere semper peragitur in « privatorum » commodum. Esse etiam *potest,* quod quis, pro personali sua indole et naturali dispositione, maiore cum pietate maioreque cum fructu vespere Missam audiat aut Missam celebret; quo in casu celebratio vespertina iterum cederet in « privatorum commodum ». Ideo in omnibus his similibusque aliis occasionibus neque licentia Missae vespertinae aliis dari, neque a propria persona — (si celebrans est ipse Ordinarius loci, vel sacerdos, Indulto Apostolico privilegiatus) — Missa vespertina dici potest; non enim cederet in *bonum commune.* At etiam in his casibus valet, quod, si « privatorum commodum » coincidit vel iungitur cum fidelium *bono communi,* nihil obstat, quominus propter bonum commune Missae vespertinae celebretur; quae celebratio dein *simul* cedit in privatorum commodum.

12. Tertium et ultimum *Moniti* alinea non amplius haeret obiecto particulari Missae vespertinae, sed inculcat illam interpretationis regulam, quae est huius Constitutionis *propria* (atque respicit tum facultatem Missae vespertinae tum alias totius Constitutionis et Instructiones amplas facultates), revocando in memoriam: Constitutionem Apostolam « *Christus Dominus* » vetare interpretationem, quae concessas facultates amplificet. Allegatum praescriptum CONSTITUTIONIS sic sonat: « Locorum Ordinarii diligenter curent, ut quaelibet vitetur interpretatio, quae concessas facultates amplificet » (AAS. 1953 pg. 23); INSTRUCTIO n. 19 idem ita significat: « Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet (AAS., 1953 pg. 51).

13. Qui diligenter perscrutatur tot de Constitutione Ap. « Christus Dominus » publicatos articulos, commentarios, libros, libellos, folia volantia, etc. etc., non potest non videre, et debet recusare excessivos ingenii non paucorum Moralistarum vel Canonistarum conatus (provocantium semper ad « regulas iuris », ab omnibus agnitas) ampliandi et extendendi facultates a Pontefice concessas: hic bene intellegit et plene consentit, in tertio alinea « Moniti » a S. Officio in memoriam revocari illud « *sunt certi denique fines* ». — Tandem aliquando hic ultimatim semper recurit quaestio, utrum ea praevaleat « *voluntas legislatoris* », quae quoad *hanc* legem in *toto* Constitutionis et Instructionis textu clare et repetitis vicibus manifestatur, an praevaleat haec vel illa « *regula iu-*

ris »; aliis verbis: utrum exigat legislator, ut in *hac* lege interpretanda regula iuris submittatur et adaptetur voluntati legislatoris in *hac* lege manifestatae, an legislator velit suam voluntatem, in hac lege manifestatam, submittere et accommodare praevalenti alicui communi « regulae iuris ». De tota hac quaestione faciendae interpretationis in *hoc concreto casu* fuse iam actum est in « Periodica » 1953, pg. 20-21, pg. 51-52.

14. Tunc temporis quoad substantiam haec exposita sunt:

« Haec nova de jejunio eucharistico statuta disciplina est et dici debet « lex favorabilis »; nam, etsi quaedam durante bello pro aliquibus regionibus vel personis data indulta restringit vel etiam ex toto aufert, tamen, si nova disciplina consideratur ut *tota,* et maxime, si comparatur cum pristina disciplina (exhibita can. 808 et 858), perplures et grandes favores ea concedi patet. Unde est, quod quis iusto iure opinari potuerit, *sine restrictione* huic legi interpretandae applicari posse et debere regulam: *favorabilia sunt amplianda, odiosa restringenda.* At in casu de quo agitur talis generalis interpretatio esset erronea, quia non simpliciter *huius* legis favorabilia sunt amplianda. Ratio non est, quod allegata regula iuris — (sicuti non paucae similis tenoris aliae regulae, cf. e. gr. can. 85 et, ad quem remittit, can. 50; can. 68) — non sit in se vera vel (saltem ordinarie) non adhibenda; sed unice quia quoad interpretandam *hanc* legem favorabilem ex ipsis documentis constat de Summi Pontificis explicita voluntate contraria. Ideo versus initium huius Commentarii monitum est: hanc legem habere *propriam suae interpretationis regulam,* in ipsa expressam et ex ipsa desumendam. — Ex altera autem parte ampli favores, de facto dati, minime sunt

tollendi vel diminuendi rigorosa quadam et restrictiva interpretatione. Manendo enim omnino intra firmos et fixos limites, a Legislatore statutos, quaedam particularia Constitutionis et Instructionis puncta admittunt interpretationem magis latam vel magis strictam. Nil obstare videtur, quominus in huiusmodi quaestionibus particularibus intra dictos limites magis favorabilis interpretatio eligatur. — In *hac* lege clavis ad rectam interpretationem inveniendam est haec in ipsis Documentis clare manifesta Summi Pontificis voluntas, scl.: ex una parte non abrogandi, sed conservandi substantiam ieiunii eucharistici; ex altera parte concedendi per modum exceptionis et dispensationis ab hac lege, ea quae mutatis horum temporum circumstantiis et personarum condicionibus exiguntur. Iuvat in hunc finem repetere Constitutionis verba versus finem in parte exhortativa posita, ex quibus dicta mens Legislatoris manifesta fit: « In hisce enim dilargiendis facultatibus, quae hominum, locorum, temporumque condiciones hodie postulant, Nos etiam atque etiam volumus Eucharistici ieiunii momentum, vim atque efficaciam confirmare ad eos quod attinet, qui Divinum Redemptorem sub Eucharisticis velis accepturi sunt » (Const. n. 30). Haec si prae oculis habentur, apparet, a mente Pontificis aberrare qui in interpretanda Constitutione et Instructione omne acumen et ingenium mentis adhibent ad amplianda indulta et ad antiquae (et prout opinantur: « antiquatae ») legis residua ad aliquod « minimum » reducenda, quod dein, progrediente evolutione et tempore, evanescat, ita ut Ecclesia redeat ad exemplum Christi, qui in ultima coena suum Corpus et Sanguinem porrexerit Apostolis *non ieiunis* ». (cf. Periodica 1953, pg. 51-52).

De cetero attendi debet: agi nunc de interpretanda *lege lata,* non de praeparanda *lege ferenda,* quae, quibusdam modificationibus introductis,

disciplinam ieiunii eucharistici adhuc magis adaptet experientiis hucusque factis, atque etiam necessitatibus animarum, non ab uno solo Ordinario S. Sedi significatis.

15. *Exemplum* interpretationis, contra hanc clare manifestatam mentem et voluntatem Pontificis amplificatae, sit modus agendi, quem quidam articuli et commentarii adhibuerunt circa Responsum *particulare*, datum a S. Officio die 28 Ianuarii 1953 ad determinatam quandam Curiam episcopalem, non publicatum in Act. Ap. Sed., sed publicatum in « *Bollettino diocesano di Faenza* », (Maggio 1953, pg. 61-62) et reproductum dein in nonnullis aliis publicationibus. Textus Responsi est hic.

SUPREMA SACRA CONGREGAZIONE
DEL SANTO OFFIZIO
Nr. 404/6

Dal Palazzo del S. Offizio,
28 gennaio 1953.

Eccellenza Rev.ma,

Il Canonico Penitenziere di cotesta Basilica Cattedrale, con Foglio in data 16 gennaio corrente, ha chiesto una risposta ai seguenti quesiti:

1) Un sacerdote di robusta costituzione fisica, che può stare benissimo a digiuno dalla mezzanotte fino a mezzogiorno, senza risentirne alcun disagio, che non ha altra occupazione fuori della celebrazione della S. Messa, si reca a piedi a una chiesa distante due chilometri, passeggiata che giova alla sua salute, e dopo la celebrazione della Messa, se vuole, ha la possibilità di prendere qualche cibo, ma può anche farne a meno: è obligato in coscienza a osservare il digiuno, a norma del can. 808?

2) Un sacerdote sano e robusto, che può stare benissimo a digiuno dalla mezzanotte a mezzogiorno, non ha nessuna occupazione di ministero, viene condotto in automobile a celebrare in una chiesta distante dieci chilometri, non sente alcun bisogno di sostentamento fino a mezzogiorno: e obbligato in coscienza a osservare la legge del digiuno, dalla mezzanotte fino all'ora della Messa, come vuole il can. 808 C.I.C.?

In merito mi reco a premura di significare a Vostra Eccellenza che i Sacerdoti i quali, pur dovendo celebrare ad ora tarda o in luoghi distanti dalla loro dimora, hanno una costituzione fisica così robusta da non risentire grave incomodo dal prolungato digiuno, non possono avvalersi delle concessioni fatte dal Santo Padre nella Costituzione Apostolica CHRISTUS DOMINUS, perchè l'obbligo del digiuno eucaristico è stato mitigato soltanto per coloro, che non sono in grado di osservarlo integralmente. Anch'essi però possono prendere l'acqua naturale, senza l'aggiunta di alcun elemento, perchè su questo punto si è derogato alla legge del digiuno eucaristico.

Pertanto ai due quesiti proposti del Canonico Penitenziere di cotesta Basilica Cattedrale questa Suprema S. Congr. risponde:

AFFIRMATIVE

Vostra Eccellenza terrà presente questa risposta, nel caso che Le venissero fatti dei quesiti analoghi.

Colgo occasione per professarmi con sensi di distinto ossequio

Dell'Eccellenza Vostra Rev.ma

dev.mo G. Card. Pizzardo, Segr.

De hoc Responso in nonnullis articulis et Commentariis notatum est: hoc Responsum (praeter-

quam quoad eos quibus datum est) nullum habere valorem iuridicum, nullam inducere obligationem, nullam ne directivam quidem habere vim, (quasi ex eo cognosci possit mens ac voluntas Ecclesiae). Esse responsum *particulare, privatum, nullo modo officialiter publicatum;* hinc nihil obstare, quominus (tum in theoria, tum in praxi et vita) teneatur et applicetur opinio huic Responso contraria.

Quidquid est de *natura iuridica* huius Responsi, *id quod* in hoc Responso enuntiatur, valet, neglecta etiam ex toto allegata hac Epistola. Nam ex *verbis ipsius Constitutionis Apostolicae* certo constat: enumerata incommoda (tarda hora, labor debilitans, longum inter) non fundare applicationem mitigationis concessae, (neque quoad fideles neque quoad sacerdotes), nisi fuerint incommoda et obiectiva et *subiectiva* (cf. AAS. 1953, pg. 19, 23, 47). Opinio: incommoda illa, *absolute sumpta* — (seu: nulla habita ratione incommodi subiectivi) — fundare applicationem mitigationis, dicenda videtur: nullum habere solidum in textibus officialibus fundamentum positivum, sed menti Pontificis, in Constitutione expressae, aperte contradicere. Neque quoad casum (in allegata Epistula E.mi Card. Pizzardo narratum) iuvat provocare ad « *praesumptionem iuris* », secundum quam allegata incommoda obiectiva possint *praesumi* creare incommoda etiam subiectiva; nam in casu allato talis « praesumptio » vincitur evidenti veritate contraria.

Iure igitur haec haud paucorum auctorum opinio favorabilis, ad casum in Epistula propositum

publice manifestata, et eorundem interpretatio reprobativa, data de responso E.mi Cardinalis, subsumenda videtur sub *reprobatione* in alinea tertio novi *Moniti* enuntiata.

FRANCISCUS X. HÜRTH, S. I.

12 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

I

DECRETUM

(*AAS.* XXXXVII [25 feb. 1955] p. 88)

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 26 Januarii 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Josef Thomé, *Der Mündige Christ,* Katholische Kirche auf dem Wege der Reifung, Frankfurt am Main, Verlag Josef Knecht, 1949.

Et sabbato, die 29 Januarii 1955, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 2 Februarii 1955.

MARIUS CROVINI
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius

II

DECRETUM

PROHIBENTUR EPHEMERIDES « LA QUINZAINE »

Feria IV, die 26 Januarii 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque prohibuerunt ephemerides inscriptas:

La Quinzaine (Paris, rue de Babylone, 68).

Et sabbato, die 29 Ianuarii 1955, SSmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 3 Februarii 1955.

M. Crovini, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

Marcus Oraison, Sacrae Theologiae et Medicinae Doctor, humiliter se subiecit decreto S. Officii diei 18 Martii 1953, quo damnatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est liber ab eo editus sub titulo « *Vie chrétienne et problèmes de la sexualité* » (Paris, P. Lethielleux, 1952).

Ex Aedibus S. Officii, die 14 Februarii 1955.

M. Crovini, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

13 - Sacra Congregatio Rituum

DECRETUM GENERALE

De rubricis ad simpliciorem formam redigendis

(*AAS.* xxxxvii [20 apr. 1955] p. 218)

Cum nostra hac aetate sacerdotes, praesertim illi qui curam animarum gerunt, variis novisque in dies apostolatus officiis onerentur, ita ut divini officii recitationi ea qua oportet animi tranquillitate vix attendere possint, nonnulli locorum Ordinarii enixas preces S. Sedi detulerunt, ut huiusmodi difficultati amovendae benigne provideret, ac saltem rubricarum copiosum instructum ad simpliciorem redigeretur formam.

Summus Pontifex Pius PP. XII, pro Sua pastorali cura et sollicitudine, rem hanc examinandam commisit peculiari virorum peritorum Commissioni, quibus studia de generali liturgica instauratione demandata sunt; hi autem rebus omnibus accurate perpensis, in consilium venerunt vigentes rubricas ad expeditiores normas esse reducendas, ita tamen ut in usum trahi possint, servatis interim libris liturgicis prouti exstant, donec aliter provisum fuerit.

Quibus omnibus Ssmo Domino Nostro ab Emo D. Cardinali S. R. C. Praefecto per singula relatis, Sanctitas Sua sequentem rubricarum dispositionem approbare dignata est eamque vulgari mandavit, ita tamen ut quae praesenti Decreto statuuntur vim obtineant kalendis Ianuariis anni 1956.

Caveant interim Pontificii librorum liturgicorum Editores, ut in novis editionibus Breviarii et Missalis romani forte disponendis, ne quid prorsus innovetur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. R. Congregationis, die 23 mensis Martii anni 1955.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

De rubricis ad simpliciorem formam redigendis

Tit. I - Normae generales

1. Ordinationes quae sequuntur ritum romanum respiciunt; quae hic expresse non nominantur, immutata censentur.

2. Nomine calendarii veniunt cum calendarium in usum universae Ecclesiae, tum calendaria particularia.

3. Normae quae sequuntur servandae sunt in recitatione sive publica sive privata divini officii, nisi aliter expresse caveatur.

4. Indulta particularia quaelibet et consuetudines etiam speciali mentione dignae, quae his ordinationibus obstant, expresse revocata censentur.

Tit. II - Variationes in calendario

1. Gradus et ritus *semiduplex* supprimitur.

2. Dies liturgici, qui nunc sub ritu semiduplici calendariis inscripti sunt, sub ritu simplici ce-

lebrantur, excepta vigilia Pentecostes quae ad ritum duplicem elevatur.

a) *De dominicis*

3. Dominicae Adventus et Quadragesimae et aliae usque ad dominicam in Albis necnon et dominica Pentecostes celebrantur ritu duplici I classis et festis quibuslibet praeferuntur tam in occurrentia quam in concurrentia.

4. Quando in dominicis 2ª, 3ª, 4ª Adventus festa I classis occurrerint permittuntur Missae de festo, excepta conventuali.

5. Dominicae hucusque sub ritu semiduplici celebratae, ad ritum duplicem elevantur; antiphonae tamen interim non duplicantur.

6. Officium et Missa dominicae impeditae, nec anticipantur, nec resumuntur.

7. Si in dominicis per annum occurrerit festum cuiusvis tituli vel mysterii Domini, festum ipsum locum tenet dominicae, de qua fit tantum commemoratio.

b) *De vigiliis*

8. Vigiliae privilegiatae sunt: vigilia Nativitatis Domini et vigilia Pentecostes.

9. Vigiliae communes sunt: vigilia festorum Ascensionis Domini, Assumptionis B. M. V., S. Ioannis Baptistae, Ss. Petri et Pauli, S. Laurentii. Omnes aliae vigiliae, etiam quae calendariis particularibus sunt inscriptae, supprimuntur.

10. Vigiliae communes, in dominica occurrentes, non anticipantur, sed omittuntur.

c) *De octavis*

11. Celebrantur tantum octavae Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, suppressis omnibus aliis, sive in calendario universali, sive in calendariis particularibus occurrentibus.

12. Dies infra octavas Paschatis et Pentecostes elevantur ad ritum duplicem, festis quibuslibet praeferuntur et non admittunt commemorationes.

13. Dies infra octavam Nativitatis Domini, quamvis eleventur ad ritum duplicem, celebrantur prouti nunc.

14. Diebus a 2 ad 5 Ianuarii, nisi occurrat aliquod festum, fit de feria currenti, ritu simplici. In officio antiphonae et psalmi ad omnes Horas et versus nocturni de currenti hebdomadae die, ut in psalterio; reliqua ut die 1ª Ianuarii, praeter lectiones, quae dicuntur de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis, et dicitur *Te Deum.* Conclusio hymnorum et versus in responsorio brevi ad Primam dicuntur ut in Nativitate Domini. Missa dicitur ut die 1ª Ianuarii, sine *Credo,* et sine *Communicantes* proprio.

Prohibentur Missae lectae tam votivae quam cotidianae defunctorum.

15. Dies a 7 ad 12 Ianuarii, suppressa octava Epiphaniae, fiunt feriae per annum (*ritu simplici*). In officio antiphonae et psalmi ad omnes Horas et versus nocturni de currenti hebdomadae die, ut in psalterio; reliqua ut in festo Epiphaniae, praeter lectiones, quae dicuntur de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis, et dicitur *Te Deum.* Conclusio hymnorum et versiculus ad Primam, de Epi-

phania. Missa de Epiphania, sine *Credo* et sine *Communicantes* proprio.

Prohibentur Missae lectae tam votivae, quam cotidianae defunctorum..

16. Die 13 Ianuarii fit commemoratio Baptismatis D. N. Iesu Christi sub ritu duplici maiore; officium et Missa dicuntur uti nunc sunt in octava Epiphaniae.

Si vero commemoratio Baptismatis D. N. Iesu Christi occurrerit in dominica, tunc fit de festo S. Familiae, sine ulla commemoratione. In sabbato praecedenti ponitur initium Epistolae primae ad Corinthios.

17. Dies a festo Ascensionis Domini usque ad vigiliam Pentecostes exclusive fiunt feriae tempore paschali (*ritu simplici*). In officio antiphonae et psalmi ad omnes Horas et versus nocturni dicuntur de currenti hebdomadae die, ut in psalterio; reliqua ut in festo Ascensionis Domini, praeter lectiones, quae dicuntur de Scriptura occurrenti, cum suis responsoriis. Conclusio hymnorum et versus ad Primam dicuntur de festo Ascensionis; Missa de eodem festo sine *Credo,* et sine *Communicantes* proprio.

Prohibentur Missae lectae tam votivae, quam cotidianae defunctorum.

In vigilia Pentecostes, nihil innovetur.

18. Dies octavae suppressae Corporis Christi et octavae item suppressae Ss. Cordis Iesu, fiunt feriae per annum.

19. In dominicis olim infra has octavas Ascensionis, Corporis Christi et Ss. Cordis Iesu, officium dicitur prouti nunc.

d) *De festis sanctorum*

20. Festa sanctorum, hucusque sub ritu semiduplici celebrata, habentur tamquam festa simplicia.

21. Festa sanctorum, hucusque sub ritu simplici celebrata, reducuntur ad commemorationem, sine lectione historica.

22. In feriis Quadragesimae et Passionis, a feria IV Cinerum usque ad sabbatum ante dominicam Palmarum, quando aliquod festum occurrerit, quod non sit I vel II classis, tam officium (in recitatione privata) quam Missa dici possunt de feria vel de festo.

Tit. III - De commemorationibus

1. Quae hic de commemorationibus dicuntur, valent tam pro officio, quam pro Missa, cum in occurrentia, tum in concurrentia.

2. Commemorationes numquam omittendae et praecedentiam absolutam habentes, sunt:

a) de quavis dominica.

b) de festo I classis.

c) de feriis Quadragesimae et Adventus.

d) de feriis et sabbato Quattuor Temporum Septembris.

e) de Litaniis maioribus.

3. Aliae commemorationes forte occurrentes ita admittuntur, ut numerum ternarium orationum non excedant.

4. Praeter et post commemorationes sub n. 2 recensitas, ratio commemorationum haec est:

a) In dominicis I classis, in festis I classis, in feriis et vigiliis privilegiatis, et insuper in Missis in cantu vel votivis solemnibus, nulla admittitur commemoratio.

b) In festis II classis, et in ceteris dominicis una tantum admittitur commemoratio.

c) In omnibus aliis diebus sive festivis, sive ferialibus, duae tantum admittuntur commemorationes.

5. Festa commemorata non amplius gaudent: *a*) *in officio,* versu proprio in responsorio brevi ad Primam, et doxologia propria in hymnis, exceptis diebus de quibus Tit. II, nn. 14-17; *b*) *in Missa,* Credo et Praefatione propria.

Tit. IV - Variationes in breviario

a) *De initio et fine Horarum*

1. Horae canonicae, tam in publica quam in privata recitatione, omissis *Pater, Ave* et respective *Credo,* inchoantur absolute, hoc modo:

Matutinum: a versu *Domine, labia mea aperies.*

Laudes, Horae minores et Vesperae: a versu *Deus, in adiutorium,*

Completorium: a versu *Iube, domne, benedicere.*

2. In officio tridui sacri et in officio defunctorum omnes Horae, omissis *Pater, Ave* et respective *Credo,* incipiunt ut in Breviario notatur.

3. Item Horae canonicae tam in publica quam in privata recitatione, absolvuntur hoc modo:

Matutinum (in recitatione privata), Laudes, Tertia, Sexta, Nona et Vesperae: versu *Fidelium animae.*

Prima: benedictione *Dominus nos benedicat.*

Completorium: benedictione *Benedicat et custodiat.*

b) *De conclusione officii*

4. Cursus cotidianus divini officii concluditur post Completorium, sueta antiphona B. M. V., cum versiculo *Divinum auxilium.*

Indultum et indulgentiae, pro recitatione orationis *Sacrosanctae* concessa, eidem antiphonae finali adnectuntur.

c) *De quibusdam partibus in officio*

5. Hymni proprii quorundam sanctorum certis Horis assignati non transferuntur. In hymno *Iste confessor* numquam mutatur tertius versus, qui erit semper: *Meruit supremos laudis honores.*

6. Antiphonae ad *Magnificat* feriarum tempore Septuagesimae forte praetermissae non resumuntur.

7. Preces feriales dicuntur tantum in Vesperis et in Laudibus officii feriarum IV et VI tempore Adventus, Quadragesimae et Passionis, necnon feriarum IV et VI, et sabbati Quattuor Temporum, excepta octava Pentecostes, quando officium fit de feria.

8. Omnes aliae preces omittuntur.

9. Suffragium sanctorum et commemoratio de Cruce omittuntur.

10. Symbolum Athanasianum recitatur in festo Ss. Trinitatis tantum.

d) *De aliis variationibus*

11. Primae vesperae (sive integrae, sive a capitulo, sive per modum commemorationis) competunt solummodo festis I et II classis, et dominicis.

12. Ad singulas partes officii quod attinet haec serventur:

a) In dominicis et festis I classis nihil innovatur.

b) In festis II classis et in festis duplicibus Domini et B. M. V., ad Matutinum, Laudes et Vesperas fit ut in proprio et in communi; ad Horas minores ut in psalterio de feria currenti et proprio loco; ad Completorium de dominica.

c) In ceteris festis, vigiliis vel feriis, per omnes Horas fit ut in psalterio et proprio loco, nisi in Matutino, Laudibus et Vesperis antiphonae et psalmi specialiter assignati habeantur.

13. Lectiones de Scriptura occurrenti una cum suis responsoriis, si die assignato dici nequeant, omittuntur, etiam si agatur de « initiis » librorum.

14. In festo sanctorum lectiones I nocturni, si propriae assignatae non habeantur, sumuntur de Scriptura occurrenti: his deficientibus, sumuntur de communi.

Tit. V - Variationes in missali

a) *De orationibus*

1. Orationes pro diversitate temporum assignatae abolentur.

2. In Missis votivis defunctorum, si in cantu celebrentur, unica dicitur oratio; si sine cantu, dici possunt tres orationes.

3. Oratio *Fidelium* hucusque praescripta prima feria libera cuiusvis mensis vel feria II cuiusvis hebdomadae, aboletur. In choro, his feriis, Missa conventualis dicitur iuxta rubricas.

4. Collectae ab Ordinario simpliciter imperatae, omittuntur iuxta rubricas hucusque vigentes, et insuper in omnibus dominicis ac quoties Missa in cantu celebretur; denique quando orationes, iuxta rubricas dicendae, numerum ternarium attigerint.

b) *De quibusdam aliis variationibus*

5. In feriis per annum, si commemoratio alicuius sancti fieri debeat, Missa dici potest, ad libitum celebrantis, vel de feria vel, more festivo, de sancto commemorato.

6. In Missis defunctorum sequentia *Dies irae* omitti potest, nisi agatur de Missa in die obitus seu depositionis praesente cadavere, vel etiam absente ob rationabilem causam, et de die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. Hoc autem die sequentia semel tantum dici debet, scilicet in Missa principali, secus in prima Missa.

7. *Credo* dicitur dumtaxat in dominicis et festis I classis, in festis Domini et B. Mariae Virginis, in festis nataliciis Apostolorum et Evangelistarum, et Doctorum universae Ecclesiae, et in Missis votivis sollemnibus in cantu celebratis.

8. Praefatio dicitur quae cuique Missae propria est; qua deficiente, dicitur praefatio de tempore, secus communis.

9. In quavis Missa pro ultimo Evangelio sumitur semper initium Evangelii secundum Ioannem, excepta tertia Missa Nativitatis Domini et Missa Dominicae Palmarum [1].

---

[1] COMUNICATO

DELLA SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

La pubblicazione del Decreto Generale sulla semplificazione delle rubriche ha indotto molti sacerdoti a ritenere imminente anche una riforma del testo del Breviario e del Messale.

Si rende noto che tale riforma richiederà ancora parecchi anni; e pertanto conservano il loro pratico valore non solo i presenti Breviarii e Messali, ma anche quelli che eventualmente si dovranno nel frattempo stampare; che, come prescrive il Decreto, dovranno essere in tutto conformi al testo presente.

† A. Carinci, Arc. di Seleucia, *Segretario*

(L'*Osservatore Romano* 4 maggio 1955).

NOTA ad Commentarium de Rubricis ad simpliciorem formam redigendis

In introductione commentarii nostri coniecturam enuntiavimus, *Ephemerides Liturgicas* quae initio hebdomadae a die 19 ad diem 25 mensis iunii occurrentis editae sunt, nova decreta S. R. C. supponere, immo cognoscere ac applicare. Revera in numero 8° (die 25 iunii edito) AAS p. 418-419 decretum S. R. C. (diei 2 iunii) promulgatum est: *Dubia circa interpretationem decreti S. R. C. diei 23 martii 1955 « de rubricis ad simpliciorem formam redigendis »*. De hoc decreto uberius agetur in numero sequenti Periodicorum.

Quod ad commentarium nostrum attinet duae additiones nunc sufficiunt: *a*) Dubium in Comment. 66 a nobis propositum a S. R. C. sic solutum est: « 4. Utrum numerus commemorationum, de quo tit. III, 4, a, b, c, ita intelligendus sit ut commemorationes admissae semper sint ' praeter et post ' commemorationes nunquam omittendae? Ad IV. Negative, iuxta n. 3, tit. III, de ternario orationum numero non excedendo ».

b) Desiderium nostrum in Comment. 39 et 183 enuntiatum, a S. R. C. authentice expletum est. « 5. Utrum festa commemorata, iuxta tit. III, 5 adhuc gaudeant in officio lectione IX historica vel evangelica? Ad V. Negative ». Ergo in nostro calendario perpetuo, in Comment. 67-89 et alibi semper lectio IX historica vel evangelica omittenda est.

Cetera omnia in nostro Commentario, etiam post hoc novum decretum, immutata manere possunt.

H. Schmidt, S. J.

Commentarius

I. INTRODUCTIO

Tanquam nomen reformationis decreto generali diei 23 mensis martii anni 1955 vulgatae accepimus primam vocem Tituli I numeri 1: « *Ordinationes* de rubricis ad simpliciorem formam redigendis ». Brevitatis causa vocibus more receptis « Rubricae generales » et « Additiones et Variationes » nunc addimus vocem « Ordinationes » [1].

Ut de his Ordinationibus recte sentire possimus, principia in decreto enuntiata semper prae oculis habere debemus, scilicet:

a) Ordinationes inspiratae sunt nonnullis principiis quae subsunt generali liturgiae instaurationi, quae iamdudum theoretice concepta est ac etiamnunc practice in votis remanet; sine dubio admittendum est has Ordinationes intendere, ut via fiat huic restaurationi.

b) Quamobrem negotium praesens habet tantum valorem provisorium ac quodammodo intentionem experimentalem.

c) Huius duplicis indolis effectus practicus est quod in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani forte disponendis nihil innovari licet.

d) Praeterea reformatio terminatur nova

---

1 ABBREVIATIONES: Ord. = Ordinationes de rubricis ad simpliciorem formam redigendis secundum Decretum S. C. R. 23-III-1955. Comment. = Commentarius.

« rubricarum » dispositione et nondum ad ipsam essentiam « liturgiae » penetrare vult.

e) Etiam haec nova rubricarum dispositio non vult systema rubricarum, sicuti post Concilium Tridentinum crevit, recognoscere prout est systema, sed tantum ipsius systematis simplificationem persequitur (« saltem rubricarum copiosum instructum ad simpliciorem redigi formam »; « vigentes rubricas ad expeditiores normas esse reducendas »).

f) Propter hanc indolem mere rubricalem Ordinationum libri liturgici servari possunt et servandi sunt prouti exstant.

Hodiernum systema rubricarum perducebat ad celebrationem liturgiae, quae in multis rebus mere artificialis erat; revera orta erat oppositio perniciosa inter disciplinam rubricarum et spiritum sacrae liturgiae: hoc decreto principaliores leges mere rubricales suppressae vel mitigatae sunt. Decursu temporis elementa moderna in liturgiam penetrabant, quae eius substantiam obtegebant: novis Ordinationibus multa accidentalia, etiamsi fortasse nonnullis ornamenta cara erant, remota sunt. Ultimis decenniis cognitio liturgiae profundior ac amplior crescebat: cuius rei influxus ubique in decreto indicari potest.

In opere ingenti restaurationis Liturgiae Romanae hoc decretum est primus gressus, qui adhuc longe ab ultimo termino perfectionis distat. Quod erat primum necessarium decretum peregit: initium factum est operis negativi, quod consistit in simplificatione, remotione, suppressione, purificatione. Talem reformationem omnibus gratam es-

se negari non potest[2]. Simplificatio perfecta, vel classica sobrietas romana, non iam attingitur, immo ipsum systema rubricarum interdum effectum plenarium simplificationis et intentiones optimas decreti frustrat. Spes disciplinae rubricarum quae iterum rationabile obsequium liturgiae et non eius domina erit, posita est in restauratione liturgiae secundum eius spiritum nativum ac splendorem primitivum.

Ut effectus huius decreti perspiciantur, Ordinationes singulae in toto complexu systematis rubricarum ponendae sunt. Quamobrem hic commentarius tantum de disciplina rubricarum agit et quidem sic ut clare manifestetur, quomodo et quatenus rubricarum copiosum instructum ad simpliciorem formam redactum sit. Cum severitate iuridica et circumspectione academica agere volumus sicut nos docuit celeber magister C. Callewaert qui simul diligentia iurisperiti ac perspicientia historici excellebat. Principium principale huius commentarii est, quod mens legislatoris ex ipso tenore legis patefacienda est. Propter duplicem tamen rationem commentarius perfectus esse nondum potest. Ab una parte collaboratio tranquilla inter rubricarum peritos nondum possibilis erat, ita ut commentarius defectibus, immo erroribus, operis primigeniti laboret[3]; ergo opusculum nos-

---

[2] Haec gratitudo etiam signum indifferentiae liturgiae esse potest secundum effatum: quo minus eo libentius. Suffragatio minimalismi liturgici revera est periculum quod decreto inhaeret, quamquam ut per se patet omnino non intenditur.

[3] Vidimus duos commentarios qui breviter sed modo perito rubricas explicant, scil. in *L'Ami du Clergé* 65 (1955) 321-331

trum nihil aliud intendit quam prodesse ad ulteriores inquisitiones ac disputationes. Ab altera parte decretum etiam est opus primum genitum, ita ut res dubiae vel obscurae adsint; exspectari possunt, sicut etiam commentarius indicat, decreta interpretatoria, quae vel meram declarationem vel

---

(M. Noirot) et in *Nouvelle Revue Théologique* 87 (1955) 513-524 (L. Renwart S. J.).

Ceterae dissertationes quas cognoscimus sunt praesentationes decreti, scil. in *The Irish Ecclesiastical Record* 83 (1955) 455-460 (G. Montague), in *La Maison-Dieu* 42 (1955) 11-28 (A. G. Martimort) et in *Les Questions Liturgiques et Paroissiales* 36 (1955) 136-140 (R. Van Doren O. S. B.).

In *L'Osservatore Romano* 18 giugno 1955 A. Bugnini annuntiavit « Ordinem pro Ecclesia universali » et commentarium in « Ephemerides Liturgicae ». Edita nunc sunt ét *Ordo Divini Officii recitandi Sacrique peragendi iuxta kalendarium universalis Ecclesiae pro anno Domini bissextili 1956* (Roma, Via Pompeo Magno 21, 1955. XLVIII-156 p.), ét commentarius in *Ephemerides Liturgicae* 69 (1955) 113-208 (A. Bugnini et I. Bellocchio). Hic commentarius valde pretiosus est, laude dignus et maximi momenti. Eius pars principalis consistit in egregiis notis narrativo-historicis sed etiam notae rubricales quantitate abundantes ac qualitate insignes adiectae sunt. Tantum duas res volumus observare. Primo in non paucis interpretationibus Ordinationum existit differentia inter EphLit et commentarium nostrum; huius differentiae ratio duplex indicata est in introductione nostra. Deinde EphLit praebent secundum nostram opinionem novitates, quae in Ordinationibus non contineri et ulterior simplificatio rubricarum dicendae esse videntur. Libenter accipimus has novitates, non autem auctoritate cuiusdam commentarii sed tantum auctoritate S. Congregationis Rituum, decretis rite promulgatis. Nobis videntur EphLit nova decreta S. C. R. supponere, immo cognoscere ac applicare (vide v. g. nova festa cum indicatione ritus etc. in p. 187-190 allata), ita ut eas de privato arbitrio obiurgari non liceat. In corpore commentarii nostri tantum principales novitates ab EphLit prolatas ac nonnullas differentias explicationis inter eas et nos indicamus. Dolendum est, quod propter multos errores specimen calendarii in p. 182-206 dux securus dici non potest.

interpretationem comprehensivam aut extensivam continent.

Tandem aliquando speramus fore ut commentarius calendaristarum utilitatibus consulat multorumque commodis inserviat.

II. PRAENOTANDA

1 1. Normae generales, quae in Ord. I habentur, commentario indigere non videntur.

2 2. Variationes quae commentario non indigent et semel enuntiatae posthac praesupponuntur. *a*) In hymno *Iste confessor* nunquam mutatur tertius versus, qui erit semper : « Meruit supremos laudis honores » (Ord. IV 5).

3 *b*) *Hymni proprii* quorundam sanctorum certis Horis assignati non transferuntur (Ord. IV 5).

4 *c*) *Preces feriales et dominicales* omittuntur. Sed preces feriales dicuntur tantum in Vesperis et in Laudibus Officii feriarum IV et VI tempore Adventus, Quadragesimae et Passionis, necnon feriarum IV et VI, et sabbati Quattuor Temporum, excepta Octava Pentecostes, quando Officium fit de feria (Ord. IV 7-8).

5 *d*) *Suffragium sanctorum* et *commemoratio de Cruce* omittuntur (Ord. IV 9).

6 *e*) *Symbolum Athanasianum* recitatur in festo Ss. Trinitatis tantum (Ord. IV 10).

7 *f*) In quavis Missa pro *ultimo Evangelio* sumitur semper initium Evangelii secundum Ioannem, excepta tertia Missa Nativitatis Domini et Missa Dominicae Palmarum (Ord. V 9).

III. DE OFFICIO DIVINO

A. DE EXORDIO ET CONCLUSIONE OFFICII (Ord. IV 4)

8 **1.** Ante divinum Officium laudabiliter dicitur, sub singulari semper numero, oratio « Aperi » cum indulgentia trium annorum. Hoc consilium immutatum censendum est, nam expresse neque nominatur nec abrogatur (Ord. I 1).

9 **2.** Post divinum Officium dicenda est post Completorium sueta antiphona B. M. V., cum versiculo « Divinum auxilium ».

Omittenda sunt Pater, Ave ac Credo, et etiam oratio « Sacrosanctae » (cum Pater et Ave), cuius indultum et indulgentiae eidem antiphonae finali adnectuntur. Indulgentia est 3 annorum; indultum est, quod clericis in sacris constitutis et sacerdotibus eam devote post Officium recitantibus Summus Pontifex Leo X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

In fine Officii feriae V in Coena Domini et Feriae VI in Parasceve, post psalmum « Miserere » cum oratione antiphona B. M. V. omittenda est.

In fine Officii Commemorationis omnium fidelium defunctorum et Officii Defunctorum antiphona B. M. V. omittenda est.

B. DE INITIO ET FINE HORARUM (Ord. IV 1-3)

10 **1.** Praenotanda. Nova ordinatio spectat tam ad publicam quam ad privatam recitationem.

11 2. Initium Horarum. Omissis Pater, Ave et respective Credo, Horae inchoantur absolute, hoc modo:

a) *Matutinum*: a versu « Domine labia mea aperies ». In Matutino Epiphaniae Domini ab antiphona « Afferte Domino ».

b) *Laudes, Horae minores et Vesperae*: a versu « Deus in adiutorium ».

c) *Completorium*: a versu « Iube domne benedicere ».

d) In officio *Tridui Sacri, Commemorationis omnium fidelium defunctorum* et in *Officio defunctorum* omnes Horae, omissis Pater Ave et respective Credo, incipiunt ut in Breviario notatur.

12 3. Finis Horarum. *a*) *Matutinum* (in recitatione privata), *Laudes, Tertia, Sexta, Nona et Vesperae*: absolvuntur versu « Fidelium animae ».

b) *Prima*: benedictione « Dominus nos benedicat ».

c) *Completorium*: benedictione « Benedicat et custodiat ».

d) Ergo *omittitur*: in fine Matutini, Laudum, Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperarum: Pater; in fine Completorii: Pater et versus « Dominus det nobis » (remanet antiphona B. M. V. cum versiculo « Divinum auxilium »).

N.B. — Antiphona B. M. V. et versus « Divinum auxilium » tantum post Completorium dicuntur [1].

---

1 Expressis enim verbis dicitur in Ord. IV 4: « Cursus cotitidianus divini Officii concluditur *post Completorium*, ... ».

e) In *Triduo Sacro* Horae absolvuntur psalmo « Miserere » cum oratione[2]; in *Commemoratione omnium fidelium defunctorum* et in *Officio defunctorum* Horae absolvuntur prouti nunc.

C. DE OFFICIIS EXCEPTIS (Ord. IV 12)

13 1. Praenotanda. *a*) *Species ordinationis Officii*: Officia quae secundum reformationem S. Pii X ordinata sunt, dicuntur Officia ordinaria[1]. Ab hac ordinatione excipiuntur tamen quaedam, quae ideo dici solent Officia excepta. Post reformationem Pii XII quattuor classes Officiorum exceptorum distingui possunt, de quibus nunc agendum est, scil. Officia peculiariter excepta, Officium exceptum ex integro, Officium partim exceptum, Officia in aliqua Hora maiori excepta.

b) Ad lectiones I nocturni festorum Sanctorum quod attinet, Ord. IV 14 cum Comment. 36-38 applicanda est.

14 2. Officia peculiariter excepta sunt Officia sui generis. In Ord. IV 12 nec expresse neque modo generico limitantur vel abrogantur, ita ut immutata censenda sint (Ord. I 1)[2]. Ergo suum Officium peculiare retinent, sicut in Breviario adnotatur:

a) Tres ultimi dies Hebdomadae Maioris.

b) Dominicae Resurrectionis et Pentecostes cum Octavis (de ritu, vide Comment. 177).

---

[2] Vide tamen rubricas speciales instauratae Vigiliae paschalis.

[1] Vide Additiones et Variationes in Rubricis Breviarii I.

[2] Si Officium Vigiliae Nativitatis diceretur peculiariter exceptum, vi Ord. IV 12c autem reformatur (vide Comment. 21).

c) Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum.

15 3. Officium exceptum ex integro. Persolvendum est prout assignatur in Breviario, vel in Proprio Dioecesis aut Instituti, hac tamen lege: *Psalmi ad Laudes et Horas minores* (non eorum antiphonae) semper sumantur ex Dominica ut in psalterio — *Completorium* semper sumatur de Dominica — *Cetera omnia* (etiam psalmi ad Matutinum et Vesperas, antiphonae psalmorum ad Laudes et Horas minores) fiunt ut in proprio et in communi. Hoc Officium habent:

a) *Dominicae* infra Octavam Nativitatis Domini (Ord. II 13), post festa Ascensionis Domini, Ss. Corporis Christi et Ss. Cordis Iesu (Ord. II 19).

b) *Vigilia* Pentecostes (Ord. II 17).

c) *Dies infra Octavam* Nativitatis Domini (Ord. II 13).

d) *Festa duplicia I classis* (Ord. IV 12a).

16 4. Officium partim exceptum. « Ad Matutinum, Laudes et Vesperas fit ut in proprio et in communi; ad Horas minores ut in psalterio de feria currenti et proprio loco; ad Completorium de Dominica » (Ord. IV 12b).

Ergo: *Psalmi ad Laudes* (non eorum antiphonae) sumantur ex Dominica ut in psalterio — *Psalmi cum eorum antiphonis*[3] *ad Horas minores*, in

[3] Antiphonae ex psalterio de feria currenti et non ex proprio vel communi sumendae sunt. Talis rubrica enim iam ante novas Ordinationes existebat in nonnullis Officiis in aliqua Hora maiori propter antiphonas proprias exceptis.

die Dominica ut in psalterio de Dominica (ergo ad Primam psalmus 117 dicendus est), in aliis diebus ut in psalterio de feria currenti — *Completorium* de Dominica — *Cetera omnia* (etiam psalmi ad Matutinum et Vesperas, antiphonae psalmorum ad Laudes) fiunt ut in proprio et in communi. Hoc Officium habent:

a) *Festa duplicia II classis*

b) *Festa duplicia maiora vel minora Domini*

c) *Festa duplicia maiora vel minora B.M.V.* (Ord. IV 12b).

17 5. Officia in aliqua Hora maiori excepta. « In ceteris festis, vigiliis vel feriis, per omnes Horas fit ut in psalterio et proprio loco, nisi in Matutino, Laudibus et Vesperis antiphonae et psalmi specialiter assignati habeantur » (Ord. IV 12c).

Ergo: Psalmi sunt ut in proprio, communi vel Dominica tantum in his Horis maioribus, quae proprias vel specialiter assignatas (non autem ex communi) antiphonas habent.

18 In calendario universalis Ecclesiae distingui possunt hae variationes: *a*) *Officium tantum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas exceptum* habent: 21 ian. S. Agnetis, duplex — 25 ian. Conversio S. Pauli, duplex maius — 5 febr. S. Agathae, duplex — 24 mart. S. Gabrielis, duplex maius — 8 mai. Apparitio S. Michaelis, duplex maius — 2 oct. Ss. Angelorum Custodum, duplex maius — 24 oct. S. Raphaelis, duplex maius — 11 nov. S. Martini, duplex — 22 nov. S. Caeciliae, duplex.

19 *b*) *Officium tantum ad Matutinum et Lau-*

des exceptum habet: 30 iun. Commemoratio S. Pauli, duplex maius.

20 *c*) *Officium tantum ad Laudes et II Vesperas exceptum* habent: 26 iun. Ss. Joannis et Pauli, duplex — 1 aug. S. Petri Ap. ad Vincula, duplex maius — 29 aug. Decollatio S. Joannis Bapt., duplex maius — 23 nov. S. Clementis I, duplex — 13 dec. S. Luciae, duplex.

21 *d*) *Officium tantum ad Laudes exceptum* habent: 3 aug. Inventio S. Stephani, simplex — 24 dec. Vigilia Nativitatis Domini[4].

22 **6.** Suppressa sunt Officia excepta in his festis calendarii universalis Ecclesiae: Feria VI ante Dominicam Pentecostes (Ord. II 17) — 18 ian. Cathedra S. Petri Ap. Romae, duplex maius — 22 febr. Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae, duplex maius — 6 mai. S. Joannis Ap. et Ev. ante Portam Latinam, duplex maius — 11 iun. S. Barnabae Ap., duplex maius[5].

D. DE I ET II VESPERIS

23 **1.** Nova Ordinatio IV 11: « Primae Vesperae (sive integrae, sive a capitulo, sive per modum commemorationis) competunt solummodo festis I et II classis, et Dominicis ».

---

[4] Secundum EphLit 69 (1955) 133 Officium huius Vigiliae manet exceptum ex integro; at vero in Ord. IV 12c Vigiliae expresse nominantur.

[5] Non enumerantur dies ac festa nunc abrogata, quae antea officium exceptum habebant.

24 2. Hodierna regula. *a*) *Dominicae* habent I et II Vesperas. Ad Dominicas enim pertinent Vesperae sabbati, quamvis psalmi cum antiphonis (praeterquam tempore Adventus quo antiphonae propriae habentur) sumantur de sabbato. I Vesperae autem Dominicarum infra Octavam Nativitatis Domini, et post festa Ascensionis Domini, Ss.mi Corporis Christi et Ss. Cordis Iesu, sunt exceptae (Ord. II 13 et 19; Comment. 15).

25 *b*) *Festa duplicia maiora aut minora tituli vel mysterii Domini, in Dominicis minoribus occurrentia,* praeter II Vesperas habent etiam I Vesperas, quia locum tenent Dominicae (Ord. II 7).

26 *c*) *Feriae* censentur habere tantum II Vesperas. Quando II Vesperae feriarum cum I Vesperis festorum duplicium I vel II classis concurrunt (Ord. IV 11), de feriis minoribus nihil fit et de feriis maioribus Adventus, Quadragesimae et Passionis fit commemoratio privilegiata (Ord. III 2c); haec commemoratio fit non tam ratione concursus quam ratione temporis, ita ut Officium feriarum practice post Nonam terminetur.

Ad Nonam autem etiam theoretice cessare videtur Officium Quattuor Temporum Septembris et feriae II Rogationum ut tale seu in quantum est Officium feriae maioris; dicenda non est oratio propria sed de feria communi h. e. de Dominica, et si impediantur Vesperae feriales, de feria nulla est facienda commemoratio.

27 *d*) *Vigiliae* privilegiatae et communes nullas habent Vesperas.

28 *e*) *Dies infra Octavas* (praeter Dominicam

infra Octavam Nativitatis Domini) habent tantum II Vesperas.

29 *f) Festa duplicia I et II classis* habent I et II Vesperas.

30 *g) Festa duplicia maiora et minora* habent tantum II Vesperas [1].

31 *h) Festa simplicia* nullas habent Vesperas.

32 3. Ergo SUPPRESSAE sunt I Vesperae Vigiliae Pentecostes, dierum infra Octavas (mere theoretice), festorum duplicium maiorum ac minorum [2], festorum simplicium, Commemorationis omnium fidelium defunctorum (ut videtur) [3].

N.B. Vi suppressionis I Vesperarum, Completorium quod has I Vesperas sequebatur, nunc non iam pertinet ad Officium sequens sed ad Officium, cuius II Vesperae dicuntur.

---

[1] Quod attinet ad festa duplicia maiora aut minora tituli vel mysterii Domini, in Dominicis minoribus occurrentia, vide Comment. 25. Ut videtur, Ord. IV 11 spectat etiam ad festum Commemorationis Baptismatis D. N. I. C. (Ord. II 16).

[2] Vide notam antecedentem.

[3] Ord. IV 11 propter verba « solummodo » spectat etiam ad Commemorationem omnium fidelium defunctorum (22 nov.), quia non est I vel II classis.

Ad Officium defunctorum quod attinet, Vesperae ibi notatae non videntur esse suppressae, quia eis vox « primarum » Vesperarum stricto sensu non competit; post Vesperas enim ibi notatas non sequitur Completorium.

Quod attinet ad Vesperas Officii B. M. V. in sabbato, clarum non est utrum maneant necne; nobis videtur eas immutatas mamere, nam videntur pertinere ad Officium feriae VI (v. g. tempore paschali feria VI non habetur antiphona ad Magnificat).

E. DE LECTIONIBUS [1]

33 1. Lectiones de Scriptura occurrenti non transponuntur. « Lectiones de Scriptura occurrenti una cum suis responsoriis, si die assignato dici nequeant, omittuntur, etiam si agatur de « initiis » librorum » (Ord. IV 13).

Ergo non tantum modus servandus in « initiis » reponendis, abrogatus est, sed etiam regula de lectionibus impeditis, quae non sunt de aliquo « initio », anticipandis vel postponendis, si dies aliqua libera inveniatur in eadem hebdomada. Quamobrem quando nempe in feriis quibus nullae sunt lectiones de Scriptura occurrenti assignatae, occurrit Officium trium nocturnorum quod non habet ius ad lectiones speciales, in eo leguntur lectiones de communi [2].

N.B. In sabbato Dominicam I post Epiphaniam praecedenti ponitur initium Epistolae primae ad Corinthios ex Dominica I post Epiphaniam, si festum Commemorationis Baptismatis D.N.I.C. occurrerit in Dominica (Ord. II 16).

34 2. Lectiones cum suis responsoriis in I nocturno Officii novem lectionum. *a*) *Ordinatio IV 14*: « In festo Sanctorum lectiones I nocturni, si propriae assignatae non habeantur, sumuntur de Scriptura occurrenti: his deficientibus, sumuntur de communi ».

---

[1] Vide elenchum commemorationum, qui etiam continet disciplinam, quando IX lectiones homiliae vel IX lectiones historicae dicendae sunt (Comment. 67-89).

[2] Ratione Ord. II 6 et IV 12 nunc etiam responsoria lectionum scripturisticarum non iam transponuntur.

Haec Ordinatio spectat tantum ad festa Sanctorum, ergo non ad festa Domini (« Christi Domini » et « Domini »), B. Mariae Virginis (ut videtur) et Angelorum. Quia nulla restrictio apponitur, vox « festa Sanctorum » complectitur festa Sanctorum cuiusvis ritus, etiamsi Officia excepta secundum Ord. IV 12 habent. Si hoc non admitteretur, Ord. IV 14 nullam applicationem in calendario universalis Ecclesiae haberet [3].

Ad lectiones I nocturni in Officio novem lectionum quod attinet, legislatio hoc modo varianda est:

35 *b*) Regula generali in Officiis novem lectionum, tres lectiones I nocturni sunt *de Scriptura occurrenti*, et quidem occurrenti hac ipsa die (Ord. IV 13).

36 *c*) Recitandae tamen sunt scripturisticae *lectiones propriae vel de communi* in omnibus festis *Domini* (« Christi Domini » et « Domini »), *B. Mariae Virginis* (ut videtur) et *Angelorum* [4].

---

[3] Si in hoc capite nihil speciale de responsoriis lectionum adnotatur, dicenda sunt responsoria lectionibus recitandis assignata.

[4] Bene notandum est in omnibus festis Domini et Angelorum lectiones proprias esse et non de communi. Quod attinet ad festa B. M. V., haec festa habent lectiones cum responsoriis de communi: 16 iul. Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo, duplex maius — 5 aug. Dedicatio S. Mariae ad Nives, duplex maius — 22 aug. Immaculati Cordis, duplex II classis — 12 sept. Ssmi Nominis, duplex maius — 24 sept. B. M. V. de Mercede, duplex maius — 21 nov. Praesentatio, duplex maius; praeterea habet lectiones de communi cum responsoriis festo propriis: 11 febr. Apparitio, duplex maius.

Ergo si aliquis sententiam admitteret, quod Ord. IV 14 etiam ad festa B. M. V. spectat, hic habeat elenchum festorum B. M. V., quorum lectiones cum responsoriis de Scriptura occurrenti essent.

37 *d*) Praeterea in festis *Sanctorum* lectiones I nocturni non sunt de Scriptura occurrenti, si habent scripturisticas *lectiones proprias* in I nocturno assignatas. Lectiones festo propriae intelliguntur: 1. eae quae stricto sensu sunt propriae et historicae, quae nempe agunt diserte de obiecto festi vel exprimunt nomen Sancti cuius fit Officium; 2. eae quae sunt appropriatae alicui Sancto propter specialem textus connexionem cum Sancto.

In calendario universalis Ecclesiae haec festa Sanctorum habent lectiones festo proprias: 18 ian. Cathedra S. Petri Ap. Romae, duplex maius — 25 ian. Conversio S. Pauli Ap., duplex maius — 22 febr. Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae, duplex maius — 24 febr. S. Matthiae, duplex II classis — 19 mart. S. Joseph, duplex I classis — 11 apr. S. Leonis, duplex — Solemnitas S. Joseph, duplex I classis — 1 mai. Ss. Philippi et Iacobi, duplex II classis (vide tamen rubricam specialem in Breviario) — 6 mai. S. Joannis ante Portam Latinam, duplex maius (vide tamen rubricam specialem in Breviario) — 11 iun. S. Barnabae, duplex maius — 24 iun. Nativitas S. Joannis Baptistae, duplex I classis — 29 iun. Ss. Petri et Pauli, duplex I classis — 30 iun. Commemoratio S. Pauli, duplex maius — 22 iul. S. Mariae Magdalenae, duplex — 1 aug. S. Petri ad Vincula, duplex maius — 29 aug. Decollatio S. Joannis Baptistae, duplex maius — 17 sept. Impressio sacrorum Stigmatum S. Francisci, duplex — 18 sept. S. Josephi a Cupertino, duplex — 28 oct. Ss. Simonis et Judae, duplex II classis — 1 nov. Omnium Sanctorum, duplex I classis — 30 nov. S. Andreae, duplex II classis —

26 dec. S. Stephani, duplex II classis — 27 dec. S. Joannis, duplex II classis — 28 dec. Ss. Innocentium, duplex II classis [5].

38 *e*) In festis *Sanctorum* scripturisticae *lectiones ex communi,* quae sive propter ritum sive propter responsoria festo propria adnotatae sunt, nunc in lectiones de Scriptura occurrenti commutandae sunt; his autem deficientibus, manent de communi.

Quoad responsoria haec norma observanda esse videtur: loco responsoriorum ex communi, nunc responsoria lectionibus de Scriptura occurrenti assignata dicenda sunt [6]; responsoria festo propria autem cum lectionibus de Scriptura occurrenti coniungenda sunt [7].

In calendario universalis Ecclesiae, lectiones ex communi *propter responsoria festo propria* adnotatae, fiunt lectiones de Scriptura occurrenti cum responsoriis festo propriis, in his festis Sanctorum: 21 ian. S. Agnetis, duplex — 5 febr. S. Agathae, duplex — 10 aug. S. Laurentii, duplex II classis [8] — 11 nov. S. Martini, duplex — 22 nov. S. Caeciliae, duplex.

---

5 Festum Inventionis S. Stephani (3 aug.), quod ex semiduplici simplex factum est, per se amisit suas lectiones proprias cum responsoriis propriis, nam secundum rubricas nunc post duas lectiones de Scriptura occurrenti, tertia lectio est de vita Sancti.

6 Si lectiones de Scriptura occurrenti deficiunt eoque lectiones sunt de communi, etiam responsoria de communi dicuntur.

7 Haec norma deducitur ex hac lege de «initiis» reponendis, quae nunc abrogata est: Si in Officiis quae habent ius ad lectiones speciales I nocturni, per accidens recitandae sint lectiones de aliquo «initio» et responsoria sunt propria festo, haec recitanda sunt.

8 Lectiones de communi Virginum II (Eccli 51, 1-17) assignatae erant festis S. Agnetis, S. Agathae et S. Laurentii.

In calendario universalis Ecclesiae, lectiones cum responsoriis ex communi *propter ritum* adnotatae, fiunt lectiones cum responsoriis de Scriptura occurrenti, in his festis duplicibus II classis Sanctorum: 25 apr. S. Marci — 25 iul. S. Jacobi — 26 iul. S. Annae — 16 aug. S. Joachim — 24 aug. S. Bartholomaei — 21 sept. S. Matthaei — 18 oct. S. Lucae — 21 dec. S. Thomae [9].

39 3. Nona lectio homiliae Officii commemorati Dominicae semper dicenda est. Omittitur tamen *a*) in festo tituli vel mysterii Domini, quod in Dominica minori occurrit (Ord. II 7) [10]; *b*) in Vigilia Nativitatis Domini, quae in Dominica IV Adventus occurrit [11].

F. DE CONCLUSIONE HYMNORUM ET VERSU AD PRIMAM

40 1. Praenotanda. Conclusio hymnorum, quae dicitur propria *diei* vel *Octavae* vel *temporis*, adhiberi debet, iuxta rubricas, per omnes Horas tam

---

[9] Non intelligo cur EphLit 69 (1955) 166-168 non applicat Ord. IV 14 ad festa sanctorum, quae habent lectiones I nocturni non proprias sed de communi assignatas.

[10] In festo D. N. I. C. Regis, propter omissionem IX lectionis homiliae Dominicae, desideratur IX lectio festi. Haec IX lectio componenda est ex divisione VIII lectionis, sive ex VII et VIII faciendae sunt tres lectiones.

Si aliquis diceret in Ord. II 7 nonam lectionum in « commemoratione » inclusam esse, vox « tantum » superflua esset.

[11] EphLit 69 (1955) 144, 145 et 149 non admittunt IX lectionem sive homiliae sive historicam. Ratio ex spiritu decreti allata nobis sufficiens non videtur. Libenter hanc novam rubricam EphLit accipimus, si S. C. R. hac de re decretum edit.

minores quam maiores respectivi Officii diei festi vel per integram Octavam vel per determinatum tempus anni, et hoc quidem etiam in hymnis festorum quae per praefatam Octavam aut tempus occurrunt, modo non habeant conclusionem hymni propriam.

41 2. NOVAE ORDINATIONES. *a) Conclusio hymnorum propria temporis.* Conclusiones hymnorum diebus 1-5 ac 7-13 ianuarii et inter festum Ascensionis et Pentecosten fiunt ut in festis Nativitatis/Epiphaniae/Ascensionis; censendae sunt conclusiones hymnorum propriae temporis, nam earum rubricis obnoxiae sunt (Ord. II 14, 15, 17 et III 5)[1].

42 *b) Conclusio hymnorum propria diei.* Doxologia propria alicui festo (vel Officio) dicitur ad omnes Horas festi tantum si eius Officium integrum recitatur; ergo si festa commemorantur, eorum doxologia propria dicenda non est (Ord. III 5).

43 3. VERSUS IN RESPONSORIO BREVI AD PRIMAM iisdem rubricis obnoxius est ac conclusio hymnorum. Quamobrem novae ordinationes de conclusione hymnorum etiam ad versum in responsorio brevi ad Primam spectat, sicuti ceteroquin expresse dicitur in Ord. III 5.

---

1 Doxologia (cum versu ad Primam) Octavae Nativitatis Domini propria censeri potest etiam propria temporis.

IV. DE MISSA

A. CREDO (Ord. V 7)

44 1. Credo dicitur dumtaxat in: *a*) *Dominicis,* etiamsi tantum commemorantur. Etiam Credo dicitur in diebus 26 et 28 decembris, si in Dominica occurrunt; Dominica enim manet, etiamsi eius Officium ac Missa transferuntur. Quoad Missam Litaniarum maiorum in Dominica occurrentem, vide harum rubricas speciales quae immutatae censentur.

45 *b*) *Festis duplicibus I classis,* quorum elenchus habetur in Comment. 160-164. Ergo nunc etiam festum Nativitatis S. Joannis Baptistae (24 iun.) habet Credo. Per se patet Credo dici debere in Coena Domini, et non in Parasceve et Sabbato Sancto.

46 *c*) *Festis Domini et B. M. V.* (etiam quae non sunt ritus duplicis I classis), quorum elenchus habetur in Comment. 166, 167, 170, 171.

47 *d*) *Festis nataliciis Apostolorum et Evangelistarum* (etiam quae non sunt ritus duplicis I classis), quorum elenchus habetur in Comment. 168 (et Barnabas, 11 iun.).

48 *e*) *Festis nataliciis Doctorum universae Ecclesiae*: 14 ian. Hilarius Ep. Conf. — 27 ian. Joannes Chrysostomus Ep. Conf. — 29 ian. Franciscus Salesius Ep. Conf. — 9 febr. Cyrillus Alexandrinus Ep. Conf. — 23 febr. Petrus Damianus Ep. Conf. — 7 mart. Thomas de Aquino Conf. — 12 mart. Gregorius I Papa Conf. — 18 mart. Cyrillus Hierosolymitanus Ep. Conf. — 27 mart. Joan-

nes Damascenus Conf. — 4 apr. Isidorus Ep. Conf. — 11 apr. Leo I Papa Conf. — 21 apr. Anselmus Ep. Conf. — 27 apr. Petrus Canisius Conf. — 2 mai. Athanasius Ep. Conf. — 9 mai. Gregorius Nazianzenus Ep. Conf. — 13 mai. Robertus Bellarminus Ep. Conf. — 27 mai. Beda Venerabilis Conf. — 13 iun. Antonius de Padua Conf. — 14 iun. Basilius Magnus Ep. Conf. — 18 iun. Ephraem Syrus Diac. Conf. — 14 iul. Bonaventura Ep. Conf. — 2 aug. Alfonsus Maria de Ligorio Ep. Conf. — 20 aug. Bernardus Abb. Conf. — 28 aug. Augustinus Ep. Conf. — 30 sept. Hieronymus Presb. Conf. — 15 nov. Albertus Magnus Ep. Conf. — 24 nov. Joannes a Cruce Conf. — 4 dec. Petrus Chrysologus Ep. Conf. — 7 dec. Ambrosius Ep. Conf.

49 *f) Missis votivis sollemnibus in cantu celebratis.* Ergo etiam in Missa solemni cantata diei consecrationis altaris, diei ac anniversarii creationis et coronationis Summi Pontificis, necnon electionis et consecrationis Episcopi.

50 2. Suppressum est Credo in: *a) Vigilia Epiphaniae,* nam abrogata est.

b) Festis Angelorum, quae non sunt duplicis I classis, scil. 24 mart. Gabriel — 8 mai. Apparitio S. Michaelis — 2 oct. Angeli Custodes — 24 oct. Raphael.

c) Festis Apostolorum et Evangelisatarum, quae non sunt natalicia, scil. 1 aug. S. Petrus Apostolus ad Vincula — 18 ian. Cathedra S. Petri Apostoli Romae — 22 febr. Cathedra S. Petri Apostoli Antiochiae — 25 ian. Conversio S. Pauli

Apostoli — 30 iun. Commemoratio S. Pauli Apostoli — 6 mai. S. Joannis ante Portam Latinam.

d) *Festo S. Mariae Magdalenae* (22 iul.).

e) Festis Patronorum loci principalis, Titularium ecclesiae seu Ordinis, S. Fundatoris Ordinis seu Congregationis, si non sub ritu duplicis I classis celebrantur.

f) Festo Sancti, cuius reliquia insignis asservatur in ecclesia.

g) *Diebus infra Octavas privilegiatis*. Ergo etiam feriis II ac III Octavarum Paschatis et Pentecostes, ut videtur, Credo dicendum non est, nam etiamsi sunt ritus duplicis I classis, non sunt festa duplicia I classis.

h) *Missis votivis sollemnibus non in cantu celebratis*.

i) *Missa de Propaganda Fide* semel in anno concessa, si non in Dominica occurrit.

k) Quoties *commemoratio* facienda est e Missa festi, quae Credo habet; at vero in Missa cum commemoratione Dominicae Credo dicendum est (Ord. III 5).

B. DE PRAEFATIONE

51 *a*) *Principium generale*: Praefatio dicitur quae cuique Missae propria est; qua deficiente, dicitur praefatio de tempore, secus communis (Ord. V 8).

52 *b*) Diebus 1-5 ac 7-13 ianuarii et diebus inter festum Ascensionis Domini et vigiliam Pentecostes, praefationes Nativitatis/Epiphaniae/Ascen-

sionis censendae sunt *praefationes de tempore* (Ord. II 14, 15 et 17)[1].

53 *c*) *Praefatio festo propria* non dicitur, si de festo fit tantum commemoratio (Ord. III 5).

54 *d*) In Dominicis post festa Corporis Christi et S. Cordis dicitur *praefatio de Trinitate* (Ord. II 18-19)[2].

V. DE ORATIONIBUS ET COMMEMORATIONIBUS

A. DE SPECIEBUS ORATIONUM

55 1. Oratio prima, vel oratio Officio aut Missae tanquam propria assignata.

56 2. Commemorationes sive *privilegiatae* sive *communes*.

3. Orationes votivae, quae cum Officio nullam relationem habentes in Missa diei dici debent vel
57 possunt post commemorationes. Sunt *a*) vel *votivae late dictae,* quae dicendae sunt ex praescripto rubricarum vel Superioris competentis, scil. oratio de Ss. Sacramento, oratio in anniversario crea-

---

1 Praefatio Octavae Nativitatis Domini propria censenda est praefatio de tempore; hoc prae oculis habendum est in applicatione supradicti principii generalis.

2 Non intelligo quomodo ex Ord. V 8 erui possit, quod EphLit 69 (1955) 177-178 de praefatione Nativitatis ac Apostolorum affirmat. Praeterea affirmatio EphLit 69 (1955) 150 nobis dubia videtur: « si in Dominica celebretur festum, quod non habeat praefationem propriam, dicitur praefatio communis et non de Trinitate » (vide Comment. 92-93).

tionis et coronationis Papae, oratio in anniversario electionis et consecrationis Episcopi, oratio in anniversario propriae ordinationis, collecta ab Ordinario imperata; praeter novas ordinationes de collecta ab Ordinario simpliciter imperata, rubricae orationum votivarum late dictarum immutatae censentur;

58 *b*) vel *votivae stricte dictae,* quas sacerdos ex devotione in Missa lecta non-conventuali secundum praescripta rubricarum, novis ordinationibus non abrogata, superaddere potest.

59 4. Suppressae sunt orationes de tempore (Ord. V 1) et oratio votiva late dicta « Fidelium » (Ord. V 3; in choro, prima feria libera cuiusvis mensis vel feria II libera cuiusque hebdomadae, Missa conventualis dicitur iuxta rubricas).

B. DE COMMEMORATIONIBUS (Ord. III)

60 1. Praenotandum. Quae hic de commemorationibus dicuntur, valent tam pro Officio, quam pro Missa, cum in occurrentia, tum in concurrentia.

61 2. Distinctio commemorationum. *a*) *Commemorationes privilegiatae* nunquam omittuntur et praecedentiam absolutam habent.

b) *Commemorationes communes* sunt omnes aliae commemorationes.

62 3. Commemorationes privilegiatae, nunquam omittendae et praecedentiam absolutam habentes, sunt:

a) de quavis *Dominica*. De Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, si eius Officium transfertur, nulla fit commemoratio die Dominica secundum rubricas in Breviario et Missali. De Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam nulla fit commemoratio, quia nec Officium nec Missam habet. Si festum cuiusvis tituli vel mysterii Domini, in Dominica minori occurrens, simplificandum est, locum tenet Dominicae (Ord. II 7); ergo quod si acciderit, fiunt duo commemorationes privilegiatae, la de hoc festo, 2a de Dominica occurrenti.

b) de *festo I classis*.

c) de *feriis Adventus, Quadragesimae et Passionis*.

d) de feriis et sabbato *Quattuor Temporum* septembris.

e) de *Litaniis maioribus* (secundum proprias rubricas)[1].

4. Commemorationes communes hac ratione admittuntur:

63 *a*) In Dominicis I classis, in festis duplicibus I classis, in diebus infra Octavas Paschatis et Pentecostes (Ord. II 12), in feriis privilegiatis, in vigiliis privilegiatis, et insuper in Missis in cantu vel votivis solemnibus (etiam non-cantatis), *nulla* admittitur commemoratio communis.

Immutata tamen manet rubrica de commemoratione S. Anastasiae in secunda Missa (etiam cantata vel conventuali) Nativitatis Domini.

64 *b*) In festis duplicibus II classis et in ce-

[1] Ergo feria II Rogationum, etiamsi est feria maior, non pertinet ad commemorationes privilegiatas.

teris Dominicis, *una* tantum admittitur commemoratio communis. Etiam festum (non I vel II classis, sed duplicis maioris aut minoris) cuiusvis tituli vel mysterii Domini, in Dominica minori occurrens, unam tantum admittit commemorationem communem (Ord. II 7).

65 *c*) In omnibus aliis diebus sive festivis, sive ferialibus, *duo* tantum admittuntur commemorationes communes.

66 5. Numerus orationum. *Oratio prima et commemorationes communes numerum ternarium excedere non admittuntur.*

Ergo ab hac rubrica numeri ternarii non excedendi segregatae sunt: *a*) commemorationes privilegiatae, ut videtur [2];

b) orationes votivae late et stricte dictae, quarum rubricae immutatae censentur; de collectis ab Ordinario simpliciter imperatis, vide tamen novam ordinationem (Ord. V 4 et Comment. 94).

---

[2] Sic v. g. in festo particulari patroni minus principalis (= duplex maius), quod infra Quadragesimam occurrit die 9 februarii, in Missa habentur hae orationes: 1a Patroni 2a feriae, 3a S. Cyrilli, 4a S. Apolloniae.

Experientia nos iam docuit textum Ord. III 3 ansam dubii continere: rogari enim potest utrum ad « numerum ternarium orationum » commemorationes privilegiatae pertineant necne. Secundum nos dubium in Ord. III 4 sublatum est vocibus « praeter et post ». Si nostra interpretatio non admitteretur, nova difficultas quoad Ord. III 4b oriretur, scil. utrum festa II classis ac Dominicae non I classis tantum duas orationes admittant an tres. Explanatio authentica huius ordinationis conveniens esset.

C. ELENCHUS COMMEMORATIONUM

67 *Praenotanda*: Elenchus non tantum continet commemorationes sed etiam indicat quando IX lectiones homiliae vel IX lectiones historicae dicendae sint. Ordo quo commemorationes positae sunt, est ordo quo dicendae sunt.

68 1. In Dominicis maioribus I classis:

In I Vesperis: commemoratio privilegiata festi duplicis I classis praecedentis.

In Laudibus: nulla commemoratio.

In Missa: commemoratio privilegiata Litaniarum maiorum (in Dominica in Albis) [1].

In II Vesperis: commemoratio privilegiata festi duplicis I classis sequentis.

69 2. In Dominicis maioribus II classis:

In I Vesperis: una tantum admittitur commemoratio communis festi duplicis maioris aut minoris praecedentis.

In Laudibus et Missa non-cantata: una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis maioris aut minoris *b*) festi simplicis *c*) memoriae.

In II Vesperis: una tantum admittitur commemoratio communis festi duplicis maioris aut minoris occurrentis.

---

[1] Si festum S. Marci (25 apr.) in Dominica Paschatis occurrit, Litaniae maiores in feriam III sequentem transferuntur. Praeterea videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

70 3. In Dominicis minoribus [2]:

In I Vesperis: una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis maioris vel minoris praecedentis *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini.

In Laudibus et Missa non-cantata: una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis maioris aut minoris *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini *c*) festi simplicis *d*) memoriae.

In II Vesperis: una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis maioris vel minoris occurrentis *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini.

71 4. In festis duplicibus I classis tituli vel mysterii Domini, quae in Dominica minori occurrunt:

In I Vesperis: commemoratio privilegiata *a*) festi duplicis I classis praecedentis *b*) Dominicae.

In Laudibus et Missa: commemoratio privilegiata *a*) Dominicae (sine IX lectione homiliae) *b*) Litaniarum maiorum (tantum in Missa) [3].

In II Vesperis: commemoratio privilegiata *a*) festi duplicis I classis sequentis *b*) Dominicae.

72 5. In festis duplicibus II classis tituli vel mysterii Domini, quae in Dominica minori occurrunt [4]:

---

[2] Quod attinet ad commemorationes in festo tituli vel mysterii Domini, quod in Dominicis minoribus occurrit, vide Comment. 71-73.

[3] Videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

[4] In festo Ss. Nominis Iesu non fit commemoratio Dominicae, quia nec Officium nec Missam habet.

In I Vesperis: commemoratio privilegiata Dominicae — una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis II classis minus nobilis praecedentis *b*) festi duplicis maioris aut minoris praecedentis, etiam simplificati.

In Laudibus et Missa: commemoratio privilegiata *a*) Dominicae (sine IX lectione homiliae) *b*) Litaniarum maiorum (tantum in Missa)[5] — una tantum admittitur commemoratio communis non autem in Missa cantata *a*) festi duplicis maioris aut minoris *b*) festi simplicis *c*) memoriae.

In II Vesperis: commemoratio privilegiata Dominicae — una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis II classis minus nobilis sequentis *b*) festi duplicis maioris aut minoris occurrentis.

73 6. In festis duplicibus maioribus aut minoribus tituli vel mysterii Domini, quae in Dominica minori occurrunt:

In I Vesperis: commemoratio privilegiata Dominicae — una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis maioris aut minoris praecedentis *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini.

In Laudibus et Missa: commemoratio privilegiata Dominicae (sine IX lectione homiliae) — una tantum admittitur commemoratio communis non autem in Missa cantata *a*) festi duplicis maioris aut minoris *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini *c*) festi simplicis *d*) memoriae.

---

[5] Videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

In II Vesperis: commemoratio privilegiata Dominicae — una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis maioris aut minoris occurrentis *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini.

74 7. In feriis maioribus privilegiatis:
Nulla admittitur commemoratio.

75 8. In feriis maioribus non privilegiatis:
In Laudibus et Missa non-cantata: duo tantum admittuntur commemorationes communes *a*) festi simplicis *b*) memoriae.

In II Vesperis: nulla commemoratio.

N.B. Quando inter feriam IV Cinerum et Dominicam Palmarum, in die qua festum duplex maius aut minus occurrit, Officium (in recitatione privata) vel Missa fiunt de feria, in huius feriae Laudibus, Missa non-cantata et II Vesperis commemoratio communis festi duplicis maioris aut minoris (sine lectione historica) addenda est.

76 9. In feriis minoribus:
In Laudibus et Missa non-cantata: duo tantum admittuntur commemorationes memoriae.

In II Vesperis: nulla commemoratio.

77 10. In Vigiliis privilegiatis I classis:
Nulla admittitur commemoratio.

N.B. Si Vigilia Nativitatis Domini venit in Dominica, ad Laudes et Missam fit commemoratio privilegiata Dominicae.

78 11. In Vigiliis communibus:
In Laudibus et Missa non-cantata: duo tan-

tum admittuntur commemorationes communes *a*) festi simplicis *b*) memoriae.

79 12. In festis duplicibus I classis [6]:

In I Vesperis: commemoratio privilegiata *a*) festi duplicis I classis inferioris praecedentis *b*) Dominicae praecedentis vel occurrentis *c*) feriarum Adventus, Quadragesimae vel Passionis.

In Laudibus et Missa [7]: commemoratio privilegiata *a*) Dominicae (cum IX lectione homiliae) [8] *b*) feriarum Quadragesimae ac Passionis (cum IX lectione homiliae) et Adventus, *c*) Quattuor Temporum (cum IX lectione homiliae) *d*) Litaniarum maiorum (tantum in Missa) [9].

In II Vesperis: commemoratio privilegiata *a*) festis duplicis I classis inferioris sequentis *b*) Dominicae occurrentis vel sequentis *c*) feriae Adventus, Quadragesimae vel Passionis.

80 13. In festis duplicibus II classis [10]:

---

[6] De festis tituli vel mysterii Domini, quae in Dominica minori occurrunt, hoc notandum est: a) de commemorationibus in his festis, vide Comment. 71; b) si in festo duplici I classis commemoranda sunt, commemoratio privilegiata 1a est de eis, 2a de Dominica.

[7] In secunda Missa Nativitatis Domini (etiam cantata vel conventuali) semper fit commemoratio S. Anastasiae.

[8] Commemoratio Dominicae fit etiam in Missa (excepta conventuali) de festo duplici I classis, quae in Dominicis II, III vel IV Adventus occurrit.

[9] Si festum S. Marci (25 apr.) in Dominica Paschatis occurrit, Litaniae maiores in feriam III sequentem transferuntur. Praeterea videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

[10] De festis tituli vel mysterii Domini, quae in Dominica minori occurrunt, hoc notandum est: *a*) de commemorationibus in his

In I Vesperis: commemoratio privilegiata *a*) Dominicae praecedentis aut occurrentis *b*) feriae Adventus, Quadragesimae vel Passionis — una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis II classis minus nobilis praecedentis *b*) festi duplicis maioris aut minoris praecedentis, etiam simplificati *c*) diei infra Octavam Nativitatis Domini[11].

In Laudibus et Missa: commemoratio privilegiata *a*) Dominicae (cum IX lectione homiliae) *b*) feriae Quadragesimae ac Passionis (cum IX lectione homiliae) et Adventus *c*) Quattuor Temporum (cum IX lectione homiliae) *d*) Litaniarum maiorum (tantum in Missa)[12] — una tantum admittitur commemoratio communis non autem in Missa cantata *a*) festi duplicis maioris aut minoris (cum IX lectione historica) *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini *c*) feriae II Rogationum (cum IX lectione homiliae) *d*) Vigiliae communis (cum IX lectione homiliae) *e*) festi simplicis (cum IX lectione historica) *f*) memoriae.

---

festis, vide Comment. 72; *b*) si in festo duplici II classis commemoranda sunt, commemoratio privilegiata 1a est de eis, 2a de Dominica.

De Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, si eius Officium transfertur, nulla fit commemoratio die Dominica secundum rubricas in Breviario et Missali. De Dominica inter Circumcisionem et Ephiphaniam nulla fit commemoratio, quia nec Officium nec Missam habet.

[11] Festum Circumcisionis nullam in I Vesperis admittit commemorationem, nisi tantum de praecedenti festo duplici II classis sicubi occurrerit.

[12] Videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

In II Vesperis: commemoratio privilegiata *a*) Dominicae sequentis aut occurrentis *b*) feriae Quadragesimae, Passionis vel Adventus — una tantum admittitur commemoratio communis *a*) festi duplicis II classis minus nobilis sequentis *b*) festi duplicis maioris aut minoris occurrentis *c*) diei infra Octavam Nativitatis Domini.

81 14. In festis duplicibus maioribus aut minoribus [13]:

In Laudibus et Missa: commemoratio privilegiata *a*) feriae Quadragesimae ac Passionis (cum IX lectione homiliae) et Adventus *b*) Quattuor Temporum (cum IX lectione homiliae) — duo tantum admittuntur commemorationes communes non autem in Missa cantata *a*) festi duplicis maioris aut minoris nobilitate aut ritu inferioris (cum IX lectione historica) [14] *b*) diei infra Octavam Nativitatis Domini *c*) feriae II Rogationum (cum IX lectione homiliae) *d*) Vigiliae communis (cum IX lectione homiliae) *e*) festi simplicis (cum IX lectione historica) *f*) memoriae.

In II Vesperis: commemoratio privilegiata feriae Quadragesimae, Passionis vel Adventus —

---

13 De festis tituli vel mysterii Domini, quae in Dominica minori occurrunt, hoc notandum est: de commemorationibus in his festis, vide Comment. 73.

De festo Commemorationis Baptismatis D. N. I. C. (13 ian.), occurrente in Dominica qua fit festum S. Familiae, nulla fit commemoratio.

In festis S. Petri vel S. Pauli prima commemoratio est S. Pauli vel S. Petri.

14 In Missa non-conventuali de festo duplici maiori vel minori perpetuo aut accidentaliter impedito, fit etiam commemoratio Officii diei.

duo tantum admittuntur commemorationes communes *a*) festi duplicis maioris aut minoris nobilitate aut ritu inferioris, occurrentis simplificati *b*) diei infra Octavam Nativitatis.

82 **15.** In festis simplicibus:

In Laudibus et Missa non-cantata: duo tantum admittuntur commemorationes communes *a*) festi simplicis nobilitate inferioris *b*) memoriae.

83 **16.** In diebus infra Octavam privilegiatam I ordinis:

Nulla admittitur commemoratio, praeterquam *in Missa*: commemoratio privilegiata Litaniarum maiorum[15].

84 **17.** In diebus infra Octavam privilegiatam III ordinis[16]:

In Laudibus et Missa non-cantata: duo tantum admittuntur commemorationes communes *a*) festi simplicis (cum IX lectione historica) *b*) memoriae.

In II Vesperis: nulla admittitur commemoratio.

85 **18.** In Missis festi simplicis vel memoriae in Laudibus vel in Martyrologio commemoratorum:

Quando diebus, in quibus non occurrit Officium duplex, Dominica, Octava privilegiata, feria Qua-

---

[15] Si festum S. Marci (25 apr.) in Dominica Paschatis occurrit, Litaniae maiores in feriam III sequentem transferuntur. Praeterea videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

[16] Hic non agitur de Dominica infra Octavam Nativitatis Domini, cuius mentio fit in Comment. 70.

dragesimae, Passionis, Quattuor Temporum et II Rogationum, aut quaelibet Vigilia, dicitur Missa privata, i. e. Missa non-conventualis sive cantata sive lecta, de quovis Officio vel memoria ad Laudes commemoratis, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius mentio illa die fit in Martyrologio vel in eius appendice pro respectivis ecclesiis approbata, in hac *Missa non-cantata* admittuntur tantum duo commemorationes communes *a*) Officii B. M. V. in sabbato *b*) festi simplicis *c*) memoriae (nunquam fit commemoratio feriae minoris).

86 **19.** In Officio et Missa B. M. V. in sabbato:
In Laudibus et Missa non-cantata: duo tantum admittuntur commemorationes *a*) festi simplicis *b*) memoriae.

87 **20.** In Officio et Missa Defunctorum:
Nulla admittitur commemoratio.

88 **21.** In Missis cantatis:
Commemoratio privilegiata *a*) Dominicae [17] *b*) feriae Adventus, Quadragesimae et Passionis *c*) Quattuor Temporum Septembris *d*) Litaniarum maiorum [18].

89 **22.** In Missis votivis solemnibus (etiam non-cantatis): commemoratio privilegiata *a*) Dominicae [19] *b*) feriae Adventus, Quadragesimae et Pas-

---

17 Si in Dominica minori occurrit festum tituli vel mysterii Domini, commemoratio privilegiata 1a est de eo, 2a de Dominica.

18 Videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

19 Si in Dominica minori occurrit festum tituli vel mysterii Domini, commemoratio privilegiata 1a est de eo, 2a de Dominica.

sionis *c*) Quattuor Temporum Septembris *d*) Litaniarum maiorum[20].

D. ORDO COMMEMORATIONUM

90 1. Commemorationes privilegiatae praecedentiam absolutam habent, scil. *a*) Dominica *b*) festum duplex I classis *c*) feria Adventus, Quadragesimae et Passionis *d*) Quattuor Temporum Septembris *e*) Litaniarum maiorum .

Bene notandum est festum cuiusvis tituli vel mysterii Domini, quod in Dominica minori occurrit, ipsum locum tenere Dominicae, ita ut commemoratio privilegiata 1a est de festo Christi Domini, 2a de Dominica.

Ad praecedentiam sive Dominicae sive festi duplici I classis quod attinet, 1a commemoratio fit in I Vesperis de praecedenti Officio celebrato, in II Vesperis de sequenti celebrando.

91 2. Commemorationes communes quae semper post commemorationes privilegiatas ponendae sunt[1], hunc ordinem habent:

---

20 Videndae sunt rubricae Litaniarum maiorum quae immutatae censentur.

Quia Missae votivae solemnes nullam admittunt commemorationem communem, habetur hoc mirum, quod in eis non fit commemoratio dierum infra Octavas Paschatis vel Pentecostes; ergo fit commemoratio Quattuor Temporum Septembris sed non Quattuor Temporum Pentecostes.

1 V. g. in I Vesperis duplicis II classis nobilioris quam praecedens festum duplex II classis in Dominica minori occurrens, 1a commemoratio privilegiata fit de Dominica, 2a commemoratio communis de praecedenti festo duplici II classis.

a) In I Vesperis 1a commemoratio fit de praecedenti Officio celebrato, in II Vesperis vero de sequenti celebrando.

b) Ad ulteriores commemorationes, tam in Vesperis, quam in Laudibus ac Missa non-cantata, anteponitur semper commemoratio illius Officii quod est nobilius. Unde statuitur hic ordo: festum duplex maius — festum duplex minus — dies infra Octavam Nativitatis Domini — feria II Rogationum — Vigilia communis — festum simplex — memoria.

Tandem in omnibus festis S. Petri, fit commemoratio S. Pauli ante omnes alias (etiam privilegiatas), et vice versa in festis S. Pauli. Idem dicendum est de commemoratione sub unica conclusione 1ae orationis, si admittitur.

c) Si plura Officia sub uno eodemque ex praefatis numeris ordinis cadant: 1. si sint diversae praestantiae, v. g. ratione dignitatis personae vel qualitatis, praeponenda est commemoratio officii nobilioris; 2. si autem sint eiusdem omnino nobilitatis, in Vesperis anteponitur commemoratio pro I Vesperis commemorationi pro II Vesperis.

E. DE PRIVILEGIIS FESTORUM COMMEMORATORUM SUPPRESSIS (Ord. III 5)

Festa commemorata (ergo excluduntur Dominicae, feriae, vigiliae et dies infra octavas) non amplius gaudent:

92 *a*) *in Officio,* versu proprio in responsorio

brevi ad Primam, et doxologia propria in hymnis (vide Comment. 42-43);

93 *b*) *in Missa,* Credo (vide Comment. 50) et praefatione propria (vide Comment. 53).

F. DE COLLECTIS AB ORDINARIO SIMPLICITER IMPERATIS (Ord. V 4)

94 Haec oratio ex praescripto Episcopi pro causa speciali in Missa *non-cantata* addenda, etiam in ecclesiis Regularium aliisque ecclesiis exemptis, omittitur:

a) in duplicibus I et II classis;

b) in omnibus Dominicis;

c) in Vigiliis, feriis et Octavis privilegiatis;

d) si in Missa iuxta rubricas iam 3 orationes (scil. oratio prima, commemorationes sive privilegiatae sive communes, orationes votivae late dictae [1]; ergo non orationes votivae stricte dictae) recitatae sunt;

e) in Missa votiva solemni vel ad instar votivae solemnis (h. e. non-cantata) [2].

VI. STRUCTURA ANNI LITURGICI

A. DE DOMINICIS

95 **1.** NOVAE ORDINATIONES GENERALES. *a*) *Ritus*: Dominicae hucusque sub ritu semiduplici celebra-

---

[1] Disputari potest, utrum oratio in anniversario propriae ordinationis ad orationes iuxta rubricas dicendas pertineat necne.

[2] Collectae ab Ordinario pro re gravi imperatae, immutatae censentur.

tae, ad ritum duplicem elevantur; antiphonae tamen interim non duplicantur (Ord. II 5). Ergo omnes Dominicae sunt ritus duplicis minoris, praeter Dominicas Resurrectionis et Pentecostes (festa duplicia I classis) et Dominicam in Albis (ritus duplicis maioris)[1].

96 *b*) *Commemoratio de quavis Dominica* nunquam omittenda est et praecedentiam absolutam habet (Ord. III 2a)[2].

97 *c*) *Primae Vesperae* in Dominicis suppressae non sunt (Ord. IV 11); ergo habent I et II Vesperas.

98 *d*) Ad singulas *partes Officii* quod attinet, nihil innovatur (Ord. IV 12a).

99 *e*) *Symbolum Athanasianum* recitatur in festo Ss. Trinitatis tantum (Ord. IV 10).

100 *f*) *Collectae ab Ordinario simpliciter imperatae* in Dominicis non admittuntur (Ord. V 4).

101 *g*) *Credo* dicitur in omnibus Dominicis (Ord. V 7), etiamsi tantum commemorantur (Ord. III 5 et Comment. 44)[3].

102 *h*) *Resumptio vel repositio Dominicae* sup-

---

[1] In Ord. II 3 voces « ritu duplici 1 classis » nobis non omnino rectae videntur secundum terminologiam usitatam; sunt enim Dominicae maiores I classis sub ritu duplici (sive I classis, sive maiori, sive minori). Si revera admittendum esset omnes Dominicas, de quibus Ord. II 3 agit, esse ritus duplicis I classis, Ord. II 5 ad eas non spectaret, ergo earum antiphonae duplicandae essent. Quia libri liturgici interim servantur prouti exstant, hoc esset in iis aeque inconveniens ac in ceteris Dominicis. Ceteroquin est quaestio mere theoretica.

[2] Vide Comment. 62.

[3] Etiam Credo dicitur in diebus 26 et 28 decembris, si in Dominica occurrunt; Dominica enim manet, etiamsi eius Officium ac Missa transferuntur.

pressa est (Ord. II 6). Ergo Missa dominicalis sua die ob nobilius Officium impedita, sequenti hebdomada non resumitur [4].

103 *i*) *Vigiliae communes,* in Dominica occurrentes, non anticipantur, sed omittuntur (Ord. II 10).

104 2. Dominicae maiores I classis. *a*) Festis quibuslibet praeferuntur, tam in *occurrentia* quam in *concurrentia* (Ord. II 3; antea cum festis duplicibus I vel II classis concurrentes, cedebant suas Vesperas).

105 *b*) Praeter *commemorationes* privilegiatas, nullam admittunt commemorationem communem (Ord. III 4a et Comment. 68).

106 *c*) *Dominica I Adventus* (Ord. II 3).

107 *d*) *Dominicae II, III et IV Adventus*: antea erant Dominicae maiores II classis (Ord. II 3).

In occurrentia cum festis duplicibus I classis permittuntur Missae de festo, excepta conventuali, cum commemoratione privilegiata Dominicae occurrentis (Ord. II 4) [5].

Si Vigilia Nativitatis Domini in Dominica IV Adventus venerit, applicandae sunt rubricae speciales, quae abrogatae non sunt (Ord. I 1); vide tamen Comment. 151.

108 *e*) *Dominicae I, II, III et IV Quadragesimae, et Passionis* (Ord. II 3).

---

[4] Quod attinet ad Dominicam infra Octavam Nativitatis Domini, vide Comment. 117.

[5] Haec Ordinatio praesertim propter festum duplex I classis Conceptionis Immaculatae B. M. V. lata esse videtur, ad curae pastorali animarum obsecundandum. Quando enim in Dominica occurrit hoc festum, eius celebratio liturgica (non autem feriatio) nunc transfertur, quia Dominica II Adventus ad I classem elevata est.

109 *f*) *Dominica Palmarum* (Ord. II 3). In omni Missa sine benedictione palmarum, pro ultimo Evangelio sumitur Evangelium ex illa benedictione « Cum appropinquasset » (Ord. V 9).

110 *g*) *Dominicae Resurrectionis et Pentecostes*: sunt festa duplicia I classis cum Octava privilegiata I ordinis (Ord. II 3)[6].

111 *h*) *Dominica in Albis*: sub ritu duplici maiori; antiphonae duplicantur (Ord. II 3); Conclusio hymnorum propria, versus ad Primam proprius et praefatio propria usque ad Ascensionem.

112 3. Dominicae maiores II classis. *a*) In *occurrentia* festis quibuslibet praeferuntur, praeterquam festis duplicibus I classis; in *concurrentia* cum festis duplicibus I vel II classis cedunt suas Vesperas.

113 *b*) Unam tantum admittunt commemorationem communem non autem in Missa cantata (Ord. III 4b et Comment. 69).

114 *c*) Sunt Dominicae *in Septuagesima, in Sexagesima* et *in Quinquagesima*.

115 4. Dominicae minores seu per annum[7]. *a*) In *occurrentia* cedunt festis duplicibus I vel II classis et cuivis festo duplici Domini[8]; in *concurrentia* cum festis duplicibus I vel II classis et quovis

---

[6] Si festum S. Marci (25 apr.) in Dominica Paschatis occurrit, Litaniae maiores in feriam III sequentem transferuntur.

[7] In Additionibus et Variationibus in Rubricis Breviarii IV 2, Dominicae minores etiam Dominicae per annum nominantur.

[8] Festa Domini enumerantur in Comment. 170.

festo duplici Domini praecedenti[9] cedunt suas Vesperas.

116 *b*) Unam tantum admittunt *commemorationem* communem non autem in Missa cantata (Ord. III 4b et Comment. 70).

117 *c*) *Dominica infra Octavam Nativitatis Domini*: celebratur prouti nunc (Ord. II 13), etiam quod ad eius rubricas translationis attinet[10]. Ergo habet Officium exceptum ex integro (Comment. 15).

118 *d*) *Dominica vacat* quae a die 1 ad 7 ianuarii occurrere potest et cuius Officium ac Missa in unum coaluerant cum Officio ac Missa Vigiliae Epiphaniae, nunc suppressa Vigilia (Ord. II 8) et vi Ord. II 14, abrogata est quoad Officium ac Missam.

Si diebus 2, 3, 4 vel 5 ianuarii occurrit Dominica,in ea celebratur festum duplex II classis secundarium *Ss.mi Nominis Iesu*[11] (cum I Vesperis); si his diebus nulla Dominica occurrit, hoc festum die 2 ianuarii celebrandum est (sine I Vesperis). In hoc festo nulla fit commemoratio Dominicae (quia Officium ac Missam non habet) et una tantum admittitur commemoratio communis non au-

---

[9] Quia festum duplex maius vel minus Domini non habet I Vesperas (Ord. IV 11), Dominica suas II Vesperas non iam cedere potest propter tale festum sequens.

[10] Etiamsi nonnulli auctores hanc Dominicam impeditam vocant Dominicam resumptam vel repositam quoad Officium et Missam, tamen Ord. II 6 cuius vi resumptio vel repositio Dominicae abrogata est, ei applicari non licet. Expressis enim verbis in Ord. II 13 dicitur dies infra Octavam Nativitatis Domini (ad quas etiam haec Dominica pertinet) celebrari debere prouti nunc.

[11] Ergo dies 5 ianuarii ad rubricam Breviarii ac Missalis addenda est.

tem in Missa cantata (Ord. III 4b et Comment. 72)[12]; eius Officium est partim exceptum (ergo si in Dominica occurrit, ad Primam psalmus 117 dicendus est; Ord. IV 12b et Comment. 16); cum Credo; praefatio Nativitatis.

119 *e) Dominica I post Epiphaniam* celebratur festum duplex maius *S. Familiae*: in hoc festo fit commemoratio privilegiata (sine IX lectione homiliae) Dominicae et una tantum admittitur commemoratio communis non autem in Missa cantata (Comment. 73)[13]; habet I Vesperas (Comment. 25); eius Officium est partim exceptum (ergo ad Primam psalmus 117 dicendus est; Ord. IV 12b et Comment. 16); lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio (sine Communicantes) Epiphaniae.

Si festum duplex maius Commemorationis Baptismatis D.N.I.C. (13 ian.) in hac Dominica occurrit, tunc fit de festo S. Familia, sine ulla commemoratione festi Commemorationis Baptismatis D.N.I.C., et ponitur in sabbato praecedenti initium Epistolae primae ad Corinthios (Ord. II 16).

120 *f) Dominicae II-VI post Epiphaniam*: Anticipatio Officii ac Missae Dominicae suppressa est (Ord. II 6).

121 *g) Dominicae II-V post Pascha.*

122 *h) Dominica post festum Ascensionis Domini*: non fit commemoratio Octavae suppressae; Of-

---

12 Quod si acciderit eius simplificatio in Dominica, fit commemoratio privilegiata de festo simplificato (Comment. 62).

13 Quod si acciderit eius simplificatio, fiunt duo commemorationes privilegiatae, 1a de festo simplificato, 2a de Dominica (Comment. 62).

ficium dicitur prouti nunc (Ord. II 19), ergo est exceptum ex integro (Comment. 15); Missa est de Dominica (coloris albi) cum praefatione (sed sine Communicantes) Ascensionis [14].

123 *i*) *Dominica I post Pentecosten* celebratur festum duplex I classis *Ss. Trinitatis*: fit commemoratio privilegiata (cum IX lectione homiliae) [15] Dominicae et nulla admittitur commemoratio communis (Ord. III 4a et Comment. 79); Officium est exceptum ex integro (Comment. 15); Symbolum Athanasianum recitatur (Ord. IV 10).

124 *k*) *Dominicae II et III post Pentecosten* vel *post festum Ss.mi Corporis Christi et post festum Ss. Cordis Iesu*: non fit commemoratio Octavae suppressae; Officium dicitur prouti nunc (Ord. II 19), ergo est exceptum ex integro (Comment. 15); Missa est de Dominica (coloris viridis) cum praefatione Ss. Trinitatis [16].

125 *l*) *Dominicae III-XXIV post Pentecosten*: anticipatio Officii ac Missae Dominicae suppressa est (Ord. II 6), ergo Dominica XXIII post Pentecosten impedita per Dominicam ultimam post Pentecosten, simpliciter omittitur.

---

[14] Per se patet rubricas Missae secundum Ord. II 17 esse debere.

[15] Quia non est festum tituli vel mysterii Domini, IX lectio homiliae Dominicae dicenda est, vide Comment. 127.

[16] In Ord. II 19 fit quaestio tantum de Officio; praeterea in toto capite de Octavis (Ord. II 11-19) vox « Officii » a voce « Missae » clare distinguitur ita ut dici nequit in Ord. II 19 « Officium » etiam « Missam » includere. Quamobrem Missa nunc est coloris viridis cum praefatione Ss. Trinitatis.

Nostra sententia est stricta interpretatio Ord. II 19; si probaretur nimis stricta, non cunctaremur eam retractare statim!

126 *m*) *Dominica ultima in mense octobri* celebratur festum duplex I classis *D.N.I.C. Regis*: fit commemoratio privilegiata festi duplicis I classis praecedentis vel sequentis et (sine IX lectione homiliae) Dominicae et nulla admittitur commemoratio communis (Ord. III 4a et Comment. 79)[17] Officium est exceptum ex integro (Ord. IV 12a et Comment. 15); cum I Vesperis; Conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio propria.

5. Festa cuiusvis tituli vel mysterii Domini,
127 in Dominicis per annum occurrentia. *a*) *Dominicae per annum* sunt Dominicae minores (Comment. 115). *Festa tituli vel mysterii Domini* sunt festa quibus recolimus mysteria vel titulos Verbi Incarnati et quae dicuntur stricto sensu festa « Christi Domini » (Comment. 160, 166, 170)[18]. Festum cuiusvis tituli vel mysterii Domini, in Dominicis per annum occurrens, *locum tenet Dominicae* (Ord. II 7).

128 *b*) *Effectus* huius Ordinationis: 1. Per se patet haec festa retinere propriam ordinationem Officii, ergo festa duplicia I classis habent Officium exceptum ex integro (Comment. 15), et ce-

---

17 Propter omissionem IX lectionis homiliae Dominicae, desideratur IX lectio festi. Haec IX lectio componenda est ex divisione VIII lectionis, sive ex VII et VIII faciendae sunt tres lectiones.

18 Ergo Ord. II 7 non spectat ad festa Ss. Trinitatis, Pentecostes et Dedicationis ecclesiae, quae dicuntur festa « Domini » sed non « Christi Domini ». Nostra distinctio necessaria est secundum ipsum textum decreti, nam in Ord. II 7 est quaestio de festo cuiusvis « tituli vel mysterii Domini », cum alibi v. g. Ord. IV 12 b et V 7 agitur de festis « Domini » in genere. Secundum EphLit 69 (1955) 131 Ord. II 7 spectat ad omnia festa Domini.

tera omnia Officium partim exceptum (ergo ad Primam psalmus 117 dicendus est; Comment. 16). 2. Etiam festa duplicia maiora et minora habent I et II Vesperas. 3. Non admittunt IX lectionem homiliae Dominicae (Ord. II 7; dicitur enim: de qua fit « tantum » commemoratio). 4. In festis duplicibus I classis fit commemoratio privilegiata (etiam de Dominica) et nulla admittitur commemoratio communis (Comment. 71); in festis duplicibus II classis, atque etiam maioribus ac minoribus, fit commemoratio privilegiata de Dominica et una tantum admittitur commemoratio communis non autem in Missa cantata (Comment. 72-73). 5. Quod si acciderit simplificatio festi, fiunt duo commemorationes privilegiatae, 1a de festo simplificato, 2a de Dominica.

129 c) *Festa in specie*: Propter rationes evidentes Ord. II 7 non spectat ad festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Resurrectionis. Festa Ss. Nominis (Comment. 118), S. Familiae (Comment. 119) et D.N.I.C. Regis (Comment. 126) perpetuo occurrunt in Dominica. Festum Commemorationis Baptismatis D.N.I.C. (13 ian.) in Dominica occurrens, simpliciter sine ulla commemoratione omittitur (Ord. II 16 et Comment. 119).

Ergo secundum calendarium universalis Ecclesiae, accidentaliter in Dominica per annum occurrere possunt: festum duplex II classis secundarium Inventionis S. Crucis (3 mai.) — festum duplex I classis secundarium Pretiosissimi Sanguinis (1 iul.) — festum duplex II classis Transfigurationis (6 aug.) — festum duplex maius secundarium Exaltationis S. Crucis (14 sept.) — fes-

tum duplex II classis Dedicationis Archibasilicae Ss.mi Salvatoris (9 nov.)[19].

B. DE FERIIS

130 1. PRAENOTANDA. *a*) *Ritus* omnium feriarum est simplex. Ergo tres ultimi dies Hebdomadae Sanctae et dies infra Octavas Nativitatis Domini, Paschatis ac Pentecostes non sunt tractandae ut feriae.

131 *b*) *De Vesperis*: Feriae censentur habere tantum II Vesperas. Quando tamen II Vesperae feriarum cum I Vesperis festorum I et II classis[1] concurrunt (Ord. IV 11), de feriis minoribus nihil fit et de feriis maioribus Quadragesimae, Passionis et Adventus fit commemoratio privilegiata; haec commemoratio fit non tam ratione concursus quam ratione temporis, ita ut officium feriarum practice post Nonam terminetur. Ad Nonam tamen etiam theoretice cessare videtur Officium Quattuor Temporum Septembris et feriae II Rogationum ut tale seu in quantum est Officium feriae maioris; ad Vesperas enim deest antiphona propria ad Magnificat; dicenda non est oratio propria sed de feria communi h. e. de Dominica; et si impediantur, de feria nulla est facienda commemoratio.

132 2. NOVA ORDINATIO GENERALIS. *Missa de Officio commemorato in feriis*: «In feriis per an-

---

19 Propter titulum «Salvatoris» est festum tituli Christi Domini, et non tantum festum Domini.

1 Vesperae sabbati pertinent ad Dominicam.

num, si commemoratio alicuius sancti fieri debeat, Missa dici potest, ad libitum celebrantis, vel de feria vel, more festivo, de sancto commemorato » (Ord. V 5).

Etiamsi haec ordinatio sub titulo « De quibusdam aliis variationibus » occurrit, tamen nihil aliud est quam particularis applicatio Additionum et Variationum in Rubricis Missalis IV 5, cuius tenor sic comprehenditur: Singulis diebus, in quibus non occurrit Officium duplex, Dominica, Octava privilegiata, feria Quadragesimae, Passionis, Quattuor Temporum et II Rogationum, aut quaelibet Vigilia, dici possunt ritu festivo Missae privatae, i. e. Missae non-conventuales sive cantatae sive lectae, de quovis Officio ad Laudes commemorato, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius mentio illa die fit in Martyrologio vel in eius appendice pro respectivis ecclesiis approbata.

Haec particularis applicatio rubricae iam existentis videtur esse assumpta in Ord. V 5 propter reductionem multorum festorum simplicium ad commemorationem in feriis faciendam; antea enim feriae per annum non habebant commemorationes [2].

133 3. Feriae maiores privilegiatae. *a*) In *occurrentia* festis quibuslibet praeferuntur.

---

[2] Etiamsi Ord. V 5 tantum de feriis per annum agit, tamen non dici potest restrictio Additionum et Variationum in Rubricis Missalis IV 5, perinde ac si talis Missa nunc etiam in feriis Adventus impediretur. Illae feriae enim in Ord. V 5 expresse nec nominantur nec excluduntur. Etiamsi earum exclusio vi Ord. V 5 admitteretur, tamen tales Missae permitterentur ratione mentionis festi in Martyrologio!

134 *b*) Nullam admittunt *commemorationem* (Ord. III 4a et Comment. 74).

135 *c*) *Feria quarta Cinerum*: in concurrentia cedit I Vesperis festi duplicis I vel II classis sequentis, in quibus commemoratio de ea nunquam omittenda est et praecedentiam absolutam habet (Ord. III 2c et Comment. 62); Preces feriales dicuntur in Vesperis et in Laudibus (Ord. IV 7).

136 *d*) *Feriae II, III et IV Maioris Hebdomadae*: in Feria IV Preces feriales in Vesperis et Laudibus dicuntur (Ord. IV 7)[3].

137 4. Feriae maiores non privilegiatae. *a*) In *occurrentia* tantum festis simplicibus et Officio B.M.V. in sabbato praeferuntur; in *concurrentia* cedunt I Vesperis festi duplicis I vel II classis sequentis.

138 *b*) In Laudibus et Missa non-cantata duas tantum admittunt *commemorationes* communes festi simplicis et memoriae (Ord. III 4c et Comment. 75).

139 *c*) *Commemorationes de eis* (excepta feria II Rogationum) nunquam omittendae sunt et praecedentiam absolutam habent (Ord. III 2cd et Comment. 62).

140 *d*) *Feriae Adventus*: Preces feriales dicuntur in Vesperis et in Laudibus Officii feriarum IV et VI, atque etiam sabbati Quattuor Temporum, quando Officium fit de feria (Ord. IV 7).

---

[3] Feriae II, III et IV Maioris Hebdomadae sunt feriae Passionis, nam feriae Passionis quae sunt feriae maiores non privilegiatae, expresse dicuntur feriae Passionis ante Dominicam Palmarum.

141 *e*) *Feriae Quadragesimae post diem Cinerum* et *Feriae Passionis ante Dominicam Palmarum*: quando in die qua festum duplex maius aut minus occurrit, Officium (in recitatione privata) vel Missa fiunt de feria, in feriae Laudibus, Missa non-cantata et II Vesperis commemoratio communis festi duplicis maioris aut minoris occurrentis vel simplificati (sine lectione historica) addenda est (Ord. II 22 et Comment. 75) [4]; Preces feriales dicuntur in Vesperis et in Laudibus Officii feriarum IV et VI, atque etiam sabbati Quattuor Temporum, quando Officium fit de feria (Ord. IV 7; Preces etiam dicuntur, si aliquis recitat Officium de feria secundum privilegium Ord. II 22).

142 *f*) *Quattuor Temporum Septembris*: Preces feriales dicuntur in Laudibus feriarum IV et VI ac sabbati, quando officium fit de feria (Ord. IV 7).

143 *g*) *Feria II Rogationum* (non III aut IV).

144 5. Feriae minores seu per annum. *a*) In *occurrentia* cedunt omni alio Officio vel Missae; in *concurrentia* cedunt I Vesperis festi duplicis I vel II classis sequentis.

145 *b*) In Laudibus et Missa non-cantata duas tantum admittunt *commemorationes* communes memoriae (Ord. III 4c et Comment. 76).

146 *c*) Numquam fit *commemoratio de eis*.

147 *d*) Feriae minores speciales dici possunt *feriae diebus* 2-5 *ianuarii inclusive* (inter Circumcisionem et Epiphaniam), *feriae diebus* 7-12 *ianua-*

---

[4] Ord. II 22 non spectat ad festa simplicia, nam tempore Quadragesimae et Passionis ad memoriam reducta sunt (Comment 176).

rii inclusive (inter Epiphaniam et festum Baptismatis D.N.I.C.), et *feriae inter festum Ascensionis et Vigiliam Pentecostes*: In Officio antiphonae et psalmi ad omnes Horas et versus nocturni de currenti hebdomadae die, ut in psalterio; reliqua ut in festo Circumcisionis/Epiphaniae/Ascensionis, praeter lectiones quae dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis (diebus 7-12 ianuarii sumenda sunt responsoria octavae suppressae), et dicitur Te Deum; conclusio hymnorum et versus in responsorio brevi ad Primam de Circumcisione /Epiphania/Ascensione, etiam si Officium de feria non fiat (Ord. III 5). — Missa de Circumcisione/Epiphania/Ascensione, sine Credo, et sine Communicantes proprio (Praefatio hisce diebus censenda est de tempore, vide Comment. 52). — Prohibentur Missae lectae tam votivae quam cotidianae Defunctorum. — In sabbato Dominicam I post Epiphaniam praecedenti ponitur initium Epistolae primae ad Corinthios ex Dominica I post Epiphaniam, si festum Commemorationis Baptismatis D.N.I.C. occurrerit in Dominica (Ord. II 14-17).

148 *e*) Feriae minores communes dici possunt: 1. *Feriae inter festum Commemorationis Baptismatis D.N.I.C.* (die 13 ian.) *et Dominicam in Septuagesima*. 2. *Feriae inter Dominicam in Septuagesima et feriam IV Cinerum*: antiphonae ad Magnificat forte praetermissae non resumuntur (Ord. IV 6). 3. *Feriae inter Dominicam in Albis et festum Ascensionis,* excepta feria II Rogationum. 4.

Feriae inter Dominicam I post Pentecosten et Dominicam I Adventus[5].

C. DE VIGILIIS[1]

149 1. Vigiliae privilegiatae I classis. *a*) In *occurrentia* festis quibuslibet praeferuntur.

150 *b*) Nullam admittunt *commemorationem* (Ord. III 4a et Comment. 77)[2].

151 *c*) *Vigilia Nativitatis Domini* (Ord. II 8). Officium: ad Matutinum (ritus simplicis) psalmi cum antiphonis (de tempore Adventus) in psalterio de feria currenti et reliqua in proprio; ad Laudes (ritus duplicis minoris) psalmi de Dominica et reliqua (etiam antiphonae psalmorum, quae duplicantur) in proprio; ad Horas minores psalmi in psalterio de feria currenti et reliqua (etiam antiphonae psalmorum)[3] in proprio (Ord. IV 12c et Comment. 21). — Missa sine Credo.

Si Vigilia venit in Dominica IV Adventus, est ritus duplicis sed tantum ad Laudes antiphonae duplicantur. Officium: I Vesperae de Dominica IV

---

[5] Nunc etiam dies infra Octavas suppressas festorum Ss. Corporis Christi et Ss. Cordis Iesu ad eas pertinent (Ord. II 18). His diebus tamen, quia libri liturgici servantur prouti exstant, ad lectiones responsoria (quae sunt de Octava) manent, quamvis per se fieri deberent de feria.

[1] Vigiliae nullas habent Vesperas.

[2] Exceptio habetur, si Vigilia Nativitatis Domini venit in Dominica IV Adventus, vide Comment 77.

[3] Quia in Adventu antiphonae psalmorum ad Horas minores sumuntur ex proprio de tempore et Vigilia pertinet ad proprium de tempore, etiam nunc post Ord. IV 12c antiphonae psalmorum ad Horas minores Vigiliae sunt de Vigilia et non de Dominica IV Adventus.

Adventus; ad Matutinum omnia de Dominica IV Adventus praeter Invitatorium et in III nocturno versus ac lectiones (sine IX lectione homiliae Dominicae IV Adventus) cum suis responsoriis, quae sunt de Vigilia; ad Laudes de Vigilia cum commemoratione privilegiata Dominicae IV Adventus; ad Horas minores psalmi (ad Primam psalmus 117 dicendus est) de Dominica et reliqua (etiam antiphonae psalmorum)[4] de Vigilia (Ord. IV 12c et Comment. 21). — Missa de Vigilia cum commemoratione privilegiata Dominicae et cum Credo.

152 *d*) *Vigilia Pentecostes* (Ord. II 8); sub ritu duplici, ergo antiphonae duplicantur (Ord. II 2); sine I Vesperis (Ord. IV 11); in eius celebratione nihil innovatur (Ord. II 17), ergo Officium est exceptum ex integro (Comment. 15).

153 2. Vigiliae communes. *a*) *Ritus* est simplex.

154 *b*) In *occurrentia* locum cedunt omni Officio ac Missae novem lectionum.

155 *c*) In Dominica occurrentes, *non anticipantur* sed omittuntur (Ord. II 10), ergo nunc nunquam transferuntur[5].

156 *d*) *Vigiliae commemoratio* communis (cum IX lectione homiliae) fit in Laudibus et Missa non-cantata festi duplicis II classis, maioris vel minoris (in festis duplicibus I classis de Vigilia nihil fit). Vigiliae ipsae duas tantum admittunt *comme-*

---

[4] Quando Vigilia venit in Dominica IV Adventus, in Officio praevalet Vigilia; ergo ad Horas minores antiphonae psalmorum sunt de Vigilia et non de Dominica IV Adventus.

[5] Nequidem translato officio festi cuius agitur Vigilia. Vigilia si in festo duplici I classis occurrat, etiam omittitur.

morationes communes in Laudibus et Missa non-cantata (Ord. III 3 et Comment. 78).

157 *e*) Sunt Vigiliae *Ascensionis Domini, Assumptionis B.M.V., S. Ioannis Baptistae, Ss. Petri et Pauli, S. Laurentii* (Ord. II 9).

158 3. Suppressae sunt omnes aliae Vigiliae, scil. *a*) Vigilia privilegiata II classis Epiphaniae Domini. *b*) Vigiliae communes Immaculatae Conceptionis B.M.V., Omnium Sanctorum, Sanctorum Apostolorum (Andreae, Thomae, Matthiae, Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae). *c*) Omnes Vigiliae quae calendariis particularibus sunt inscriptae (Ord. II 9).

D. DE FESTIS DUPLICIBUS I CLASSIS

159 1. Novae ordinationes generales. *a*) Ad singulas partes Officii quod attinet, nihil innovatur, h. e. iis competit *Officium exceptum ex integro* (Ord. IV 12a; Comment. 15).

b) Habent I et II *Vesperas* (Ord. III 4a).

c) *Commemorationes* de eis pertinent ad commemorationes nunquam omittendas et praecedentiam absolutam habentes (Ord. III 2b; Comment. 62). Ipsa festa nullam commemorationem communem admittunt (Ord. III 4a; Comment. 79).

d) *Credo* habent (Ord. V 7).

e) Dominicae maiores I classis etiam in *concurrentia* his festis praeferuntur (Ord. II 3). Quando in Dominicis II, III vel IV Adventus haec festa *occurrunt*, permittuntur Missae de festo, excepta conventuali, cum commemoratione privilegiata Dominicae occurrentis (Ord. II 4).

f) De *festis tituli vel mysterii Domini*, in Dominica minori occurrentibus, vide Comment. 127-129.

160 2. Elenchus festorum duplicium I classis secundum calendarium universalis Ecclesiae: *a*) *Festa Domini*: 1. festa tituli vel mysterii Christi Domini sunt: 25 dec. Nativitas — 6 ian. Epiphania — Resurrectio cum tribus antecedentibus diebus — Ascensio — Corpus Christi — Cor Jesu — 1 iul. Pretiosissimus Sanguis (= festum secundarium) — D.N.I.C. Rex. 2. alia festa Domini sunt: Pentecostes — Trinitas — festa particularia Dedicationis Ecclesiae (vide Comment. 164).

161 *b*) *Festa B.M.V.*: 8 dec. Conceptio Immaculata — 25 mart. Annuntiatio — 15 aug. Assumptio.

162 *c*) *Festa Angelorum*: 29 sept. Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

163 *d*) *Festa Sanctorum*: 24 iun. Nativitas S. Joannis Baptistae — 19 mart. S. Joseph — Solemnitas S. Joseph — 29 iun. Ss. Petrus et Paulus Apostoli — 1 nov. Omnes Sancti.

164 *e*) *Festa particularia*: Dedicatio Ecclesiae propriae eiusque anniversarium (= festum Domini) — Dedicatio Ecclesiae Cathedralis eiusque anniversarium (= festum Domini) — Titulus propriae Ecclesiae — Titulus Ecclesiae Cathedralis — Patroni principales oppidi vel civitatis, dioecesis, provinciae et nationis — Titularis et Sanctus Fundator Ordinis seu Congregationis.

E. DE FESTIS DUPLICIBUS II CLASSIS

165 **1.** Novae ordinationes generales. *a*) Habent *Officium* partim exceptum (Ord. IV 12b; Comment. 16).

b) Habent I et II *Vesperas* (Ord. IV 11).

c) Praeter *commemorationes* privilegiatas tantum unam commemorationem communem non autem in Missa cantata admittunt (Ord. III 4b et Comment. 80).

d) Dominicae maiores I classis etiam in *concurrentia* his festis praeferuntur (Ord. II 3).

e) De *festis tituli vel mysterii Domini,* in Dominica minori occurrentibus, vide Comment. 127-129.

f) *Credo* habent festa Domini et B.M.V., festa natalicia Apostolorum ac Evangelistarum (Comment. 46-47).

166 **2.** Elenchus festorum duplicium II classis secundum calendarium universalis Ecclesiae: *a*) *Festa Domini*: festa tituli vel mysterii Christi Domini sunt: 1 ian. Circumcisio — Nomen Iesu (= festum secundarium) — 3 mai. Inventio S. Crucis (= festum secundarium) — 6 aug. Transfiguratio — 9 nov. Dedicatio Archibasilicae Ss.mi Salvatoris (propter titulum « Salvatoris » dicendum est festum tituli Christi Domini, et non tantum festum Domini).

167 *b*) *Festa B. M. V.*: 2 febr. Purificatio — 2 iul. Visitatio — 22 aug. Immaculatum Cor (= festum secundarium) — 8 sept. Nativitas — 15 sept. Septem Dolores (= festum secundarium) — 7 oct.

Rosarium (= festum secundarium) — 11 oct. Maternitas (= festum secundarium).

168 *c*) *Festa Sanctorum*: 1. Apostoli et Evangelistae: 30 nov. Andreas — 21 dec. Thomas — 27 dec. Joannes — 24 febr. Matthias — 1 mai. Philippus et Jacobus — 25 iul. Jacobus — 24 aug. Bartholomaeus — 21 sept. Matthaeus — 28 oct. Simon et Judas — 25 apr. Marcus — 18 oct. Lucas. 2. Alii Sancti: 26 dec. Stephanus Protomartyr — 28 dec. Innocentes — 26 iul. Anna — 10 aug. Laurentius — 16 aug. Joachim.

F. DE FESTIS DUPLICIBUS MAIORIBUS

169 1. Novae ordinationes generales. *a*) Ad singulas partes Officii quod attinet, per omnes Horas habent *Officium ordinarium*, sed si in Matutino, Laudibus vel Vesperis antiphonae et psalmi specialiter assignati habeantur, habent *Officium* in his Horis *exceptum*. Festa Domini et B.M.V. tamen habent *Officium partim exceptum* (Ord. IV 12bc; Comment. 16-22).

b) Habent tantum II *Vesperas* (Ord. IV 11).

c) Praeter *commemorationes* privilegiatas, haec festa duas tantum admittunt commemorationes communes non autem in Missa cantata (Ord. III 4c et Comment. 81).

d) *Credo* habent festa Domini et B.M.V., festa natalicia Apostolorum et Evangelistarum (Comment. 46-47).

e) In feriis Quadragesimae et Passionis, inter feriam IV Cinerum et Dominicam Palmarum, tam *Officium* (in recitatione privata) quam *Missa*

dici possunt de feria vel de his festis occurrentibus (Ord. II 22).

f) De *festis tituli vel mysterii Domini,* in Dominica minori occurrentibus, vide Comment. 127-129.

170 2. Elenchus festorum duplicium maiorum secundum calendarium universalis Ecclesiae: *a*) *Festa Domini*: 1. festa tituli vel mysterii Domini sunt: S. Familia — 13 ian. Commemoratio Baptismatis D.N.I.C.[1]. — 14 sept. Exaltatio S. Crucis (= festum secundarium). 2. aliud festum Domini est: 18 nov. Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli.

171 *b*) *Festa B.M.V.*: 11 febr. Apparitio (= festum secundarium) — Septem Dolores tempore Passionis (= festum secumdarium) — 16 iul. Commemoratio B.M.V. de Monte Carmelo (= festum secundarium) — 5 aug. Dedicatio S. Mariae ad nives — 12 sept. Nomen (= festum secundarium) — 24 sept. B.M.V. de Mercede (= festum secundarium) — 21 nov. Praesentatio.

172 *c*) *Festa Angelorum*: 24 mart. Gabriel — 8 mai. Apparitio S. Michaelis (= festum secundarium) — 2 oct. Angeli Custodes — 24 oct. Raphael.

173 *d*) *Festa Sanctorum*: 1. 29 aug. Decollatio S. Joannis Baptistae. 2. Apostoli: 1 aug. S. Petri Apostoli ad Vincula — 11 iun. Barnabas — et fes-

---

[1] Eius Officium (partim exceptum) et Missa dicuntur uti nunc sunt in Octava Epiphaniae; praefatio (sine Communicantes) Epiphaniae. Si in Dominica occurrit, fit de festo S. Familiae, sine ulla commemoratione festi Commemorationis Baptismatis D. N. I. C., et in sabbato praecedenti ponitur initium Epistolae primae ad Corinthios.

ta secundaria: 18 ian. Cathedra S. Petri Apostoli Romae — 22 febr. Cathedra S. Petri Apostoli Antiochiae — 25 ian. Conversio S. Pauli Apostoli — 30 iun. Commemoratio S. Pauli Apostoli — 6 mai. S. Joannes ante Portam Latinam. 3. Abbas: 21 mart. Benedictus. 4. Confessores: 4. Confessores: 4 aug. Dominicus — 4 oct. Franciscus Assisiensis — 31 iul. Ignatius — 3 dec. Franciscus Xaverius.

174 *e*) *Festa particularia*: Patroni minus principales.

G. DE FESTIS DUPLICIBUS MINORIBUS[1]

175 Novae ordinationes generales. *a*) Ad singulas partes Officii quod attinet, per omnes Horas habent *Officium ordinarium,* sed si in Matutino, Laudibus vel Vesperis antiphonae et psalmi specialiter assignati habeantur, habent *Officium* in his Horis *exceptum* (Ord. IV 12c; Comment. 17-22).

b) Habent tantum II *Vesperas* (Ord. IV 11).

c) Praeter *commemorationes* privilegiatas, haec festa duas tantum admittunt commemorationes communes non autem in Missa cantata (Ord. III 4c; Comment. 81).

d) *Credo* habent festa natalicia Doctorum universae Ecclesiae (Ord. V 7 et Comment. 48).

e) In feriis Quadragesimae et Passionis, inter feriam IV Cinerum et Dominicam Palmarum,

---

[1] Si festa Domini, B. M. V., Apostolorum et Evangelistarum essent duplicia minora, eorum privilegia sunt eadem ac duplicium maiorum (Comment. 169); si in Dominica minori occurrerent festa tituli vel mysterii Domini, vide Comment. 127-129.

tam *Officium* (in recitatione privata) quam *Missa* dici possunt de feria vel de his festis occurentibus (Ord. II 22).

H. DE FESTIS SIMPLICIBUS

176 Novae ordinationes generales. *a*) Festa sanctorum, hucusque sub ritu *semiduplici* celebrata, habentur tanquam festa simplicia (Ord. II 20)[1].

b) Festa sanctorum, hucusque sub ritu *simplici* celebrata, reducuntur ad commemorationem (Ord. II 21).

c) Ad singulas partes Officii quod attinet, per omnes Horas habent *Officium ordinarium,* sed si in Matutino, Laudibus vel Vesperis antiphonae et psalmi specialiter assignati habeantur, habent *Officium* in his Horis *exceptum* (Ord. IV 12c; Comment. 17-22)[2].

d) Nullas habent *Vesperas* (Ord. IV 11).

e) Praeter *commemorationes* privilegiatas, haec festa duas tantum admittunt commemorationes communes non autem in Missa cantata (Ord. III 4c; Comment. 82).

---

[1] Ratione Adventus, Quadragesimae, Passionis vel Officii B. M. V. in sabbato, nonnulla festa semiduplicia in perpetuo non reducuntur ad festa simplicia sed ad commemorationes sine lectione historica, scil. 10 mart. Ss. Quadraginta Martyrum — 28 mart. S. Joannis a Capistrano — 2 dec. S. Bibiana — 11 dec. S. Damasi — 16 dec. S. Eusebi.

[2] Sic in festo Inventionis S. Stephani (3 aug.) Officium manet exceptum ad Laudes; hoc festum tamen amisit suas lectiones I nocturni proprias cum responsoriis propriis, nam secundum rubricas nunc post duas lectiones de Scriptura occurrenti, tertia lectio est de vita Sancti.

f) *Lectiones* 1a et 2a sunt de Scriptura occurrenti; lectio 3a historica est vel lectio IX contracta vel lectio IV si haec est unica historica vel, his deficientibus, duo aut tres lectiones historicae II nocturni per modum unius coniunctae. Si festum lectiones historicas non habet, tres lectiones sunt de Scriptura occurrenti.

I. DE OCTAVIS

177 *1.* Octavae privilegiatae I ordinis, scil. *Octava Paschatis* et *Octava Pentecostes* (Ord. II 11).

a) Feriae II et III sunt *ritus* duplicis I classis; feriae IV, V, VI et sabbatum sunt ritus duplicis minoris (Ord. II 12), ergo antiphonae duplicantur.

b) In *occurrentia* et *concurrentia* festis quibuslibet praeferuntur (Ord. II 12).

c) Non admittunt *commemorationes*, praeterquam in Missa commemorationem privilegiatam Litaniarum Maiorum (Oord. II 12 et III 2e; Comment. 83)[1].

d) Retinent *Officium peculiariter exceptum*, sicut in Breviario adnotatur (Comment. 14)[2].

e) In Missa non dicitur *Credo* (Ord. V 7), etiam non feria II ac III ut videtur (Comment. 50).

---

1 Rubricae Litaniarum Maiorum immutatae censentur (Ord. I 1), etiam quod attinet ad earum translationem in feriam III sequentem, si festum S. Marci (25 apr.) occurrit in Dominica Paschatis.

2 In Ord. IV 12 mentio Octavarum non fit, ergo earum Officium immutatum censendum est (Ord. I 1).

178 2. Octava privilegiata III ordinis, scil. *Octava Nativitatis Domini* (Ord. II 11). Dies infra hanc Octavam[3] *a*) sunt *ritus* duplicis minoris, sed antiphonae non duplicantur (Ord. II 13)[4];

b) in *occurrentia* tantum officiis simplicibus praeferuntur[5]; in *concurrentia* retinent privilegium singulare[6];

c) tantum habent II *Vesperas* (Ord. IV 11)[7];

d) retinent *Officium exceptum ex integro* (Ord. II 13 et Comment. 15);

e) duas tantum admittunt *commemorationes* communes non autem in Missa cantata (Ord. III 4c et Comment. 84);

f) si ipsae commemorantur, pertinent ad *commemorationes* communes (Ord. III)[8];

g) in Missa *Credo* non habent (Ord. V 7)[9].

---

[3] Excluduntur festum Circumcisionis et Dominica infra Octavam, cuius mentio fit in Comment. 117.

[4] Rubrica antiphonas non duplicandi includitur in verbis « celebrantur prouti nunc » Ord. II 13.

[5] Haec rubrica immutata censenda est propter verba « celebrantur prouti nunc » Ord. II 13.

[6] Hoc privilegium habetur in Notandis ad Tabellas Breviarii Romàni n. 14, sed etiam in corpore Breviarii suo loco in propriis rubricis.

[7] Haec ordinatio practice nihil mutat in hodierno textu Breviarii Romani.

[8] Haec ordinatio sine dubio admittenda est, etiamsi Ord. II 13 habet verba « celebrantur prouti nunc ». Ergo effectus practici in Officio sunt, quod in II Vesperis Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis, Ss. Innocentium nulla commemoratio Octavae fit; etiam in Missis cantatis commemoratio Octavae omittenda est.

[9] Secundum EphLit 69 (1955) 138 et 176 omnia festa infra hanc Octavam vel die octava occurrentia celebrantur prouti nunc; at vero stricto sensu « dies infra octavam » dici non possunt.

179 3. Suppressae sunt omnes aliae Octavae, sive in calendario universali, sive in calendariis particularibus occurrentes (Ord. II 11). Sunt: *a*) Octavae privilegiatae II ordinis Epiphaniae et Ss.mi Corporis Christi; *b*) Octavae privilegiatae III ordinis Ascensionis Domini et Ss. Cordis Iesu; *c*) Octavae communes Conceptionis Immaculatae B. M.V., Assumptionis B.M.V., Nativitatis S. Joannis Baptistae, Solemnitatis S. Joseph, Ss. Petri et Pauli App., Omnium Sanctorum, Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae, Dedicationis et Tituli ecclesiae cathedralis, Patroni principalis oppidi vel civitatis dioecesis provinciae et nationis, Tituli et S. Fundatoris Ordinis seu Congregationis, aliorum festorum duplicium I classis quae alicubi cum Octava celebrentur; *d*) Octavae simplices Nativitatis B.M.V., S. Joannis Ap. et Ev., S. Stephani Protomartyris, Ss. Innocentium Mm., S. Laurentii Mart., aliorum duplicium II classis quae alicubi cum Octava celebrentur.

K. DE MEMORIIS SANCTORUM

180 1. De voce « memoriae ». Ad confusionem evitandam cum commemorationibus Dominicarum, feriarum, Vigiliarum, festorum et Octavarum, diebus in quibus eorum Officium vel Missa accidentaliter impedita sunt, proponimus vocem « memoriae » pro his commemorationibus Sanctorum, qui in calendario Officii et Missae perpetuo expertes sunt.

181 2. De speciebus memoriarum. *a*) *Memoriae in Officiis novem lectionum occurrentes* per se habent

in Officio commemorationem ac IX lectionem historicam, et in Missa non-cantata commemorationem, salvis tamen rubricis de commemorationibus et de IX lectione historica omittendis.

In calendario autem universalis Ecclesiae nunquam habent IX lectionem historicam: 1. memoriae Ss. Petri et Pauli App. diebus 18 ian., 25 ian., 22 febr., 30 iun. et 1 aug. — 2. memoriae: 31 mai. Petronillae — 12 iul. Naboris et Felicis — 23 iul. Liborii — 25 iul. Christophori — 9aug. Romani — 28 aug. Hermetis — 4 dec. Barbarae.

Omittenda est memoria 7 oct. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii, quia festum duplex II classis occurrens tantum unam commemorationem communem admittit.

182 b) *Memoriae in festis simplicibus occurrentes* habent in Officio et in Missa non-cantata commemorationem. Sunt in calendario universalis Ecclesia memoriae quae antea in festis semiduplicibus occurrebant, scil.: 23 ian. Emerentianae (IX lectio historica omittitur) — 4 mart. Lucii — 29 iul. Felicis II, Simplicii, Faustini et Beatricis — 16 sept. Euphemiae, Luciae et Geminiani (IX lectio historica omittitur) — 23 sept. Theclae (IX lectio historica omittitur).

183 c) *Memoriae in feriis et in vigiliis communibus occurrentes* habent in Officio et in Missa non-cantata commemorationem. Sunt in calendario universalis Ecclesiae:

1. memoriae in feriis maioribus et in vigiliis communibus occurrentes, scil. 14 aug. Eusebii — 5 dec. Sabbae — 10 dec. Melchiadis. Ad eas etiam pertinent illa festa semiduplicia quae ratione Ad-

ventus, Quadragesimae vel Passionis non ad festa simplicia reducuntur sed perpetuo ad commemorationem, scil. 10 mart. Ss. Quadraginta Martyrum — 28 mart. S. Joannis a Capistrano — 2 dec. Bibianae (si non in Adventu occurrit, Officio B. M. V. in sabbato cedere debet) — 11 dec. Damasi — 16 dec. Eusebii.

2. memoriae per se in feriis minoribus occurrentes. Ad eas pertinent omnia festa Sanctorum simplicia vi Ord. II 21 ad commemorationem reducta [1]. Praeterea ad eas pertinent memoriae, quae antea occurrebant in nunc suppressis Vigiliis, Octavis vel festis simplicibus, scil. 5 ian. Telesphori — 11 ian. Hygini — 19 ian. Canuti — 24 iul. Christinae — 18 aug. Agapiti (IX lectio historica omittitur, nisi hac die festum novem lectionum occurrit) — 1 sept. Duodecim Fratrum — 21 oct. Ursulae ac Sociarum — 8 nov. Quattuor Coronatorum (IX lectio historica omittitur, nisi hac die festum novem lectionum occurrit) — 29 nov. Saturnini.

84 *d*) *Memoria S. Anastasiae* (25 dec.) habet commemorationem tantum in secunda Missa (cantata vel non-cantata) Nativitatis Domini [2].

---

1 Etiamsi in festo novem lectionum occurrunt (v. g. in calendario particulari), vi Ord. II 21 de iis non fit IX lectio historica. Excipiuntur tamen memoriae Agapiti (18 aug.) et Quattuor Coronatorum (8 nov.), quia non vi Ord. II 21 memoriae in feriis occurrentes creatae sunt. Libenter IX lectionem sive homiliae sive historicam totaliter omittimus, sicut EphLit 69 (1955) 144, 145 et 149 agunt; ad hoc tamen requiritur decretum S. C. R., quia Ordinationes per se hoc non permittunt.

2 Quia Officium B. M. V. in Sabbato (ritus simplicis) non est festum, Ord. II 20 ad id non spectat.

185 3. Missa de memoriis ad libitum. Singulis diebus, in quibus non occurrit Officium duplex, Dominica, Octava privilegiata, feria Quadragesimae, Passionis, Quattuor Temporum et II Rogationum, aut quaelibet Vigilia, ad libitum dici possunt ritu festivo Missae privatae, i. e. Missae non-conventuales sive cantatae sive lectae, de quovis Officio vel memoria ad Laudes commemoratis, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius mentio illa die fit in Martyrologio vel in eius appendice pro respectivis ecclesiis approbata (Additiones et Variationes in Rubricis Missalis IV 5 et Comment 194).

In Ord. V 5 haec rubrica expresse applicatur etiam ad festa simplicia nunc ad commemorationem reducta; antea enim feriae minores non habebant commemorationes.

L. DE OFFICIO ET MISSA DEFUNCTORUM

186 *a*) *Commemorationes* in Officio vel Missae defunctorum non admittuntur. Missa unicam tantum *orationem* admittit, praeterquam Missa quotidiana lecta et Missa in sacello sepulcreti lecta, in quibus dici possunt tres orationes (Ord. V 2).

187 *b*) *Initium et finis Horarum.* Omnes Horae, omissis Pater Ave et respective Credo, incipiunt ut in Breviario notatur, et absolvuntur prouti nunc (Ord. IV 2).

Earum cursus completus non absolvitur antiphona B. M. V.

188 *c*) Suppressae sunt, ut videtur, I *Vesperae* (cum Completorio) Commemorationis omnium fi-

delium defunctorum (2 nov.); Ord. IV 11 propter verba « solummodo » spectat etiam ad Commemorationem omnium fidelium defunctorum, quia non est I vel II classis.

Ad Officium defunctorum quod attinet, Vesperae ibi notatae non videntur esse suppressae, quia eius vox « primarum » Vesperarum stricto sensu non competit; post Vesperas ibi notatas non sequitur Completorium.

189 *d*) Prima feria libera cuiusvis mensis vel feria II cuiusvis hebdomadae, in choro *Missa conventualis* dicitur iuxta rubricas, etiamsi oratio « Fidlium » hisce diebus addenda abolita est (Ord. V 3).

190 *e*) *Missae lectae cotidianae* defunctorum prohibentur etiam diebus 1-5 ac 7-12 ianuarii et inter festum Ascensionis et vigiliam Pentecostes (Ord. II 14, 15 et 17).

191 *f*) Sequentia *Dies irae* omitti potest, nisi agatur de Missa in die obitus seu depositionis praesente cadavere, vel etiam absente ob rationabilem causam, et de die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. Hoc autem die sequentia semel tantum dici debet, scilicet in Missa principali, secus in prima Missa (Ord. V. 6).

M. DE OFFICIIS AC MISSIS AD LIBITUM

192 1. Missa de festo duplici I classis impedito. Quando in Dominicis II, III vel IV Adventus festa duplicia I classis occurrunt, permittuntur Missae de festo (excepta conventuali), cum commemoratione privilegiata Dominicae occurrentis (Ord. II 4).

193 2. Missa de festo duplici maiori vel minori impedito. Si festum duplex maius vel minus impeditur, sive accidentaliter sive perpetuo, et Officium impediens est nec duplex I vel II classis, nec Dominica, nec Octava privilegiata I ordinis, nec feria aut vigilia privilegiata, ad libitum sacerdotes de festo impedito celebrare possunt Missam, non-conventualem sive cantatam sive lectam, cum commemoratione communi de festo impedienti et reliquis commemorationibus forte occurrentibus. Dicitur haec Missa ritu festivo, cum Gloria.

194 3. Missa de festo simplici vel memoria in Laudibus vel Martyrologio commemoratis. Singulis diebus, in quibus non occurrit Officium duplex, Dominica, Octava privilegiata, feria Quadragesimae, Passionis, Quattuor Temporum et II Rogationum, aut quaelibet Vigiliae, ad libitum dici possunt Missae, non-conventuales sive cantatae sive lectae, de quovis Officio vel memoria ad Laudes commemoratis, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cuius mentio illa die fit in Martyrologio vel in eius appendice pro respectivis ecclesiis approbata. Dicitur haec Missa ritu festivo, cum Gloria et cum commemorationibus forte occurrentibus (vide Comment. 85; nunquam fit commemoratio feriae minoris; Ord. V 5).

195 4. Missa de feria aut de vigilia occurrenti. *a*) *In feriis Quadragesimae et Passionis* (inter feriam IV Cinerum et Dominicam Palmarum), quando aliquod festum duplex maius vel minus occurrit, tam *Officium* (in recitatione privata) quam *Missa* sive cantata sive lecta dici possunt de feria

vel de festo (Ord. II 22). Quod si acciderit, in feriae Laudibus, Missa non-cantata et II Vesperis fit commemoratio communis festi occurrentis [1].

196 *b*) *In feriis Quattuor Temporum* Adventus ac Septembris, *feria II Rogationum et vigiliis communibus* ,si occurrit Officium duplex maius vel minus, *Missae* non-conventuales sive cantatae sive lectae dici possunt, ad libitum sacerdotis, de officio currenti vel de feria aut vigilia. Quod si acciderit, in Missa non-cantata feriae fit commemoratio communis festi occurrentis.

197 5. Missa votiva privata lecta etiam diebus 2-5 ac 7-12 ianuarii et inter festum Ascensionis et vigiliam Pentecostes prohibetur (Ord. II 14, 15 et 17) [2].

VII. CALENDARIUM PERPETUUM

Praenotanda: *a*) In hoc calendario non enuntiantur variationes quae in Comment. 2-7 habentur.

b) Nec indicatur disciplina commemorationum, quae habetur in Comment. 55-93, nec applicantur leges occurrentiae ac concurrentiae.

c) In calendario Proprii de tempore remittitur ad numeros antecedentes.

---

1 Ord. II 22 non spectat ad festa simplicia, nam tempore quadragesimae et Passionis ad memoriam reducta sunt (Comment. 176). Ad Preces quod attinet, vide Comment. 141.

2 Ad Missas votivas solemnes quod attinet, de commemorationibus in eis faciendis vide Comment. 89.

A. PROPRIUM DE TEMPORE

Tempus Adventus

Dominicae maiores I classis, *I-IV* (Comment. 104-107).
Feriae maiores non privilegiatae (Comment. 137-140).
24 dec. *Vigilia* privilegiata I classis (Comment. 149-151).

Tempus Nativitatis

25 dec. *Nativitas* D. N. I. C., Duplex I classis cum Octava privilegiata III ordinis: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius usque ad Epiphaniam exclusive; cum Credo; praefatio (cum Communicantes) Nativitatis per Octavam; commemoratio S. *Anastasiae* Mart. in secunda Missa (etiam cantata); proprium ultimum Evangelium in 3a Missa.
Dominica minor infra Octavam Nativitatis Domini (Comment. 115-117).
Dies infra Octavam privilegiatam III ordinis (Comment. 118).
1 ian. *Circumcisio Domini* et Octava Nativitatis, Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis (in quibus nulla fit commemoratio, nisi tantum de praecedenti duplici II classis, sicubi occurrerit); lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; cum Credo; praefatio et Communicantes Nativitatis.
1-5 ian. *Feriae* minores (Comment. 144-147).
Dominica vacat inter Circumcisionem et Epiphaniam — *Ssmi Nominis Iesu* (Comment. 118).
6 ian. *Epiphania Domini,* Duplex I classis sine Vigilia et sine Octava: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; Matutinum inchoatur absolute ab antiphona « Afferte Domino »; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; usque ad diem 14 ian. exclusive conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio et Communicantes propriae.

Tempus post Epiphaniam

7-12 ian. *Feriae minores* (Comment. 144-147).
Dominica minor *I post Epiphaniam* — *S. Familiae* (Comment. 116-117, 119).
Dominicae minores *II-VI post Epiphaniam* (Comment. 116-117, 120).

Feriae minores inter festum Commemorationis Baptismatis D. N. I. C. (13 ian.) et Dominicam in Septuagesima (Comment. 144-146, 148).

TEMPUS SEPTUAGESIMAE

Dominicae maiores II classis in Septuagesima, in Sexagesima et in Quinquagesima (Comment. 112-114).

Feriae minores inter Dominicam in Septuagesima et feriam IV Cinerum (Comment. 144-146, 148).

TEMPUS QUADRAGESIMAE

Feria maior privilegiata *quarta Cinerum* (Comment. 133-135).

Feriae maiores non privilegiatae *Quadragesimae* post diem Cinerum et *Passionis* ante Dominicam Palmarum (Comment. 137-139, 141).

Feriae maiores privilegiatae *II, III et IV Maioris Hebdomadae* (Comment. 133-134, 136).

Dominicae maiores I classis *I, II, III ac IV Quadragesimae,* et *Passionis* (Comment. 104-105, 108).

Dominica maior I classis *Palmarum* (Comment. 104-105, 109).

Triduum Sacrum (de initio et fine Horarum, vide Comment. 11-12).

TEMPUS PASCHALE

Dominica maior I classis *Resurrectionis* D. N. I. C., duplex I classis, cum Octava privilegiata I ordinis: Officium manet peculiariter exceptum (Comment. 14); Praefatio paschalis (cum Communicantes et Hanc igitur) per Octavam (Comment. 104-105, 110).

Dies infra Octavam privilegiatam I ordinis (Comment. 177).

Dominica maior I classis *in Albis* (Comment. 104-105, 111).

Dominicae minores *II-V post Pascha* (Comment. 115-116, 121).

Feriae minores *inter Dominicam in Albis et Dominicam V post Pascha* (Comment. 144-146, 148).

Feria maior non privilegiata *II Rogationum* (Comment. 137-139, 143).

Feria minor *III in Rogationibus* (Comment. 144-146, 148).

Feria minor *IV in Rogationibus* et *Vigilia communis* (Comment. 144-146, 148, 153-157).

Ascensio D. N. I. C., duplex I classis sine Octava: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; Conclusio hymno-

rum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio (cum Communicantes) propria.

Feriae minores *inter festum Ascensionis et Vigiliam Pentecostes* (Comment. 144-147).

Dominica minor *post festum Ascensionis* (Comment. 115-116, 122).

Vigilia privilegiata I classis (Comment. 149-150, 152).

Dominica maior I classis *Pentecostes,* duplex I classis, cum Octava privilegiata I ordinis: Officium manet peculiariter exceptum (Comment. 14); Conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius per Octavam; Ad Tertiam hymnus « Veni creator » per Octavam; praefatio (cum Communicantes et Hanc igitur) propria per Octavam (Comment. 104-105, 110).

Dies infra Octavam privilegiatam I ordinis (Comment. 177).

Tempus post Pentecosten

Dominica minor *I post Pentecosten* — *Ss. Trinitatis,* duplex I classis (Comment. 123).

Ssmi Corporis Christi, duplex I classis sine Octava: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; Conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius;cum Credo; praefatio Nativitatis.

Dominica minor *II post Pentecosten* (Comment. 115-116, 124).

S. Cordis Iesu, duplex I classis sine Octava: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; Conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio propria.

Dominica minor *III post Pentecosten* (Comment. 115-116, 124).

Dominicae minores *III-XXIV post Pentecosten* (Comment. 115-116, 125).

Dominica minor *ultima in mense octobri* — *D. N. I. C. Regis,* duplex I classis (Comment. 115-116, 126).

Feriae minores *inter Dominicam I post Pentecosten et Dominicam I Adventus* (Comment. 144-146, 148).

Feriae maiores non privilegiatae *Quattuor Temporum Septembris* (Comment. 137-139, 142).

B. PROPRIUM SANCTORUM

Januarius

1 Circumcisio Domini et Octava Nativitatis, Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis (in quibus nulla fit commemoratio, nisi tantum de praecedenti duplici II classis, sicubi occurrerit); lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; usque ad Epiphaniam exclusive conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; Praefatio et Communicantes Nativitatis.

Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam — Ssmi Nominis Iesu, Duplex II classis (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; cum Credo; Praefatio Nativitatis; Si his diebus nulla Dominica occurrit, die 2 ian. celebratur (sine I Vesperis).

2 . . . . .

3 . . . . .

4 . . . . .

5 . . . . . Commemoratio (sine IX lectione et sine praefatione Apostolorum) S. Telesphori Papae et Mart.

6 Epiphania Domini, Duplex I classis *sine Vigilia et sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; Matutinum inchoatur absolute ab antiphona «Afferte Domino»; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; usque ad diem 14 ian. exclusive conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio et Communicantes propriae.

Dominica I post Epiphaniam — S. Familiae Iesu Mariae Ioseph, Duplex maius. Commemoratio (sine IX lectione homiliae) Dominicae: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; Praefatio (sine Communicantes) Epiphaniae. — Si festum duplex maius Commemorationis Baptismatis D. N. I. C. (13 ian.) in hac Dominica occurrit, tunc fit de festo S. Familiae, sine ulla commemoratione festi Commemorationis Baptismatis D. N. I. C., et in sabbato praecedenti ponitur initium Epistolae primae ad Corinthios.

7 . . . . .

8 . . . . .

9 . . . . .

10 . . . . .

11 . . . . . Commemoratio (sine IX lectione historica et sine praefatione Apostolorum) S. Hygini Papae et Mart.

12 . . . . .

13 Commemoratio Baptismatis D. N. I. C., Duplex maius: Officium (partim exceptum, Comment. 16) et Missa dicuntur uti nunc sunt in Octava Epiphaniae; sine I Vesperis; cum Credo; praefatio (sine Communicantes) Epiphaniae.

14 S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Felicis Presb. et Mart.: sine I Vesperis; cum Credo.

15 S. Pauli primi Eremitae, Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Mauri Abb.: sine I Vesperis.

16 S. Marcelli I Papae et Mart., *Semiduplex fit simplex*: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

17 S. Antonii Abb., Duplex: sine I Vesperis.

18 Cathedra S. Petri Ap. Romae, Duplex maius (festum secundarium). Commemoratio la S. Pauli Ap., 2a (cum IX lectione historica) S. Priscae Virg. et Mart.: Officium fit ordinarium (Comment. 22); sine I Vesperis ;lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo; praefatio Apostolorum.

19 . . . . . Ss. Marii, Marthae, Audifacis et Abachum Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica. Commemoratio S. Canuti Regis, Mart. sine lectione historica.

20 Ss. Fabiani Papae et Sebastiani Mm., Duplex: sine I Vesperis.

21 S. Agnetis Virg. et Mart., Duplex: Officium manet exceptum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni fiunt de Scriptura occurrenti sed responsoria manent propria.

22 Ss. Vincentii et Anastasii Mm., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

23 S. Raymundi de Penafort Conf., *Semiduplex fit Simplex.* Commemoratio (IX lectio historica omittitur) S. Emerentianae Virg. et Mart.: sine I Vesperis.

24 S. Timothei Ep. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.

25 Conversio S. Pauli Ap., Duplex maius (festum secundarium). Commemoratio S. Petri Ap.: Officium manet exceptum tantum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; hymnus proprius; sine Credo; praefatio Apostolorum.

26 S. POLYCARPI Ep. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.

27 S. JOANNIS CHRYSOSTOMI Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

28 S. PETRI NOLASCI Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. AGNETIS Virg. et Mart. secundo: sine I Vesperis.

29 S. FRANCISCI SALESII Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

30 S. MARTINAE Virg. et Mart., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; duo hymni proprii quorum rubrica specialis suppressa est.

31 S. JOANNIS BOSCO Conf., Duplex: sine I Vesperis.

Februarius

1 S. IGNATII Ep. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.

2 PURIFICATIO B. MARIAE VIRG., Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio Nativitatis.

3 . . . . . S. BLASII Ep. et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

4 S. ANDREAE CORSINI Ep. et Conf., Duplex: sine I Vesperis.

5 S. AGATHAE Virg. et Mart., Duplex: Officium manet exceptum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni fiunt de Scriptura occurrenti sed responsoria propria manent.

6 S. TITI Ep. et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. DOROTHEAE Virg. et Mart.: sine I Vesperis.

7 S. ROMUALDI Abb., Duplex: sine I Vesperis.

8 S. JOANNIS DE MATHA Conf., Duplex: sine I Vesperis.

9 S. CYRILLI Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. APOLLONIAE Virg. et Mart.: sine I Vesperis; cum Credo.

10 S. SCHOLASTICAE Virg., Duplex: sine I Vesperis.

11 APPARITIO B. MARIAE VIRG. IMMACULATAE, Duplex maius (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti) cum responsoriis propriis; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B.M.V.

12 Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B.M.V., Cc., Duplex: sine I Vesperis; tres hymni proprii.
13 . . . . .
14 . . . . . S. Valentini Presb. et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.
15 . . . . . Ss. Faustini et Jovitae Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.
16 . . . . .
17 . . . . .
18 . . . . . S. Simeonis Ep. et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.
19 . . . . .
20 . . . . .
21 . . . . .
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae, Duplex maius (festum secundarium). Commemoratio S. Pauli Ap.: Officium fit ordinarium (Comment. 22); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo; praefatio Apostolorum.
23 S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.
(24) . . . . .
24 (25) S. Matthiae Ap., Duplex II classis *sine Vigilia*: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; cum Credo; praefatio Apostolorum.
25 (26) . . . . .
26 (27) . . . . .
27 (28) S. Gabrielis a Virg. Perdolente, Conf., Duplex: sine I Vesperis.
28 (29) . . . . .

Martius

1 . . . . .
2 . . . . .
3 . . . . .
4 S. Casimiri Conf., *Semiduplex fit Simplex.* Commemoratio (sine IX lectione historica et sine praefatione Apostolorum) S. Lucii I Papae et Mart.: sine I Vesperis.
5 . . . . .
6 Ss. Perpetuae et Felicitatis Mm., Duplex: sine I Vesperis.

7 S. Thomae de Aquino Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

8 S. Joannis de Deo Conf., Duplex: sine I Vesperis.

9 S. Franciscae Romanae Vid., Duplex: sine I Vesperis.

10 . . . . . Ss. Quadraginta Martyrum, *Semiduplex non fit Simplex sed Commemoratio* sine lectione historica.

11 . . . . .

12 S. Gregorii I Papae, Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo; praefatio Apostolorum.

13 . . . . .

14 . . . . .

15 . . . . .

16 . . . . .

17 S. Patricii Ep. et Conf., Duplex: sine I Vesperis.

18 S. Cyrilli Ep. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

19 S. Joseph, Sponsi B.M.V., Conf., Duplex I classis: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; tres hymni proprii; cum Credo; praefatio propria.

20 . . . . .

21 S. Benedicti Abb., Duplex maius: sine I Vesperis.

22 . . . . .

23 . . . . .

24 S. Gabrielis Archangeli, Duplex maius: Officium manet proprium tantum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo.

25 Annuntiatio B. Mariae Virg., Duplex I classis: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B.M.V.

26 . . . . .

27 S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

28 . . . . . S. Joannis a Capistrano Conf., *Semiduplex non fit Simplex sed Commemoratio* sine lectione historica.

29 . . . . .

30 . . . . .

31 . . . . .

Feria VI post Dom. Passionis — Septem Dolorum B.M.V., Duplex maius (festum secundarium): Officium fit partim exceptum

(Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; hymni proprii certis Horis assignati non transferuntur; cum Credo; praefatio B.M.V.

Aprilis

1 . . . . .
2 S. Francisci de Paula Conf., Duplex: sine I Vesperis.
3 . . . . .
4 S. Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.
5 S. Vincentii Ferrerii Conf., Duplex: sine I Vesperis.
6 . . . . .
7 . . . . .
8 . . . . .
9 . . . . .
10 . . . . .
11 S. Leonis I Papae, Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; cum Credo; praefatio Apostolorum.
12 . . . . .
13 S. Hermenegildi Mart., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; duo hymni proprii.
14 S. Justini Mart., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica, extra Quadr.) Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.: sine I Vesperis.
15 . . . . .
16 . . . . .
17 . . . . S. Aniceti Papae et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.
18 . . . . .
19 . . . . .
20 . . . . .
21 S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.
22 Ss. Soteris et Caii Pp. et Mm., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.
23 S. Georgii Mart., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; tres lectiones sunt de Scriptura occurrenti.
24 S. Fidelis a Sigmaringa Mart., Duplex: sine I Vesperis.

25 S. MARCI Ev., Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti; cum Credo, praefatio Apostolorum.

26 Ss. CLETI ET MARCELLINI Pp. et Mm., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

27 S. PETRI CANISII Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

28 S. PAULI A CRUCE Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. VITALIS Mart.: sine I Vesperis.

29 S. PETRI Mart., Duplex: sine I vesperis.

30 S. CATHARINAE SENENSIS Virg., Duplex: sine I Vesperis.

Feria IV infra Hebdomadam II post Octavam Paschae — SOLEMNITAS S. JOSEPH, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni, Duplex I classis *sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; cum Credo; praefatio propria.

Maius

1 Ss. PHILIPPI ET IACOBI App., Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi (vide rubricam specialem in Breviario); cum Credo; praefatio Apostolorum.

2 S. ATHANASII Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

3 INVENTIO S. CRUCIS, Duplex II classis (festum secundarium). Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. ALEXANDRI I Papae, EVENTII ET THEODULI Mm., ac JUVENALIS Ep. et Conf.: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; cum Credo; praefatio de Cruce.

4 S. MONICAE Vid., Duplex: sine I Vesperis.

5 S. PII V Papae et Conf., Duplex: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

6 S. JOANNIS AP. ET EV. ANTE PORTAM LATINAM, Duplex maius (festum secundarium): Officium fit ordinarium (Comment. 22); sine I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis

de communi (vide rubricam specialem in Breviario); sine Credo; praefatio Apostolorum.

7 S. Stanislai Ep. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.

8 Apparitio S. Michaelis Archangeli, Duplex maius (festum secundarium): Officium manet exceptum tantum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo.

9 S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

10 S. Antonini Ep. et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. Gordiani et Epimachi Mm.: sine I Vesperis.

11 . . . . .

12 Ss. Nerei, Achillei et Domitillae Virg. ac Pancratii Mm., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

13 S. Roberti Bellarmino Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

14 . . . . . S. Bonifatii Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

15 S. Joannis Baptistae de la Salle Conf., Duplex: sine I Vesperis.

16 S. Ubaldi Ep. et Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

17 S. Paschalis Baylon Conf., Duplex: sine I Vesperis.

18 S. Venantii Mart., Duplex: sine I Vesperis; tres hymni proprii certis Horis assignati non transferuntur.

19 S. Petri Caelestini Papae et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Pudentianae Virg.: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

20 S. Bernardini Senensis Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

21 . . . . .

22 . . . . .

23 . . . . .

24 . . . . .

25 S. Gregorii VII Papae et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Urbani I Papae et Mart.: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

26 S. Philippi Nerii Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Eleutherii Papae et Mart.; sine I Vesperis; praefatio de tempore secus communis.

27 S. Bedae Venerabilis Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Comme-

moratio (cum IX lectione historica) S. JOANNIS I Papae et Mart.: sine I Vesperis; cum Credo; praefatio de tempore secus communis.

28 S. AUGUSTINI Ep. et Conf., Duplex: sine I Vesperis.

29 S. MARIAE MAGDALENAE DE PAZZIS Virg., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

30 . . . . . S. FELICIS I Papae et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.

31 S. ANGELAE MERICIAE Virg., Duplex. Commemoratio (sine IX lectione historica) S. PETRONILLAE Virg.: sine I Vesperis.

Junius

1 . . . . .

2 . . . . . Ss. MARCELLINI, PETRI ATQUE ERASMI Ep., Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

3 . . . . .

4 S. FRANCISCI CARACCIOLO Conf., Duplex: sine I Vesperis.

5 S. BONIFATII Ep. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.

6 S. NORBERTI Ep. et Conf., Duplex: sine I Vesperis.

7 . . . . .

8 . . . . .

9 . . . . . Ss. PRIMI ET FELICIANI Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

10 S. MARGARITAE Reginae, Vid., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

11 S. BARNABAE Ap., Duplex maius: Officium fit ordinarium (Comment. 22); sine I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; cum Credo; praefatio Apostolorum.

12 S. JOANNIS A S. FACUNDO Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. BASILIDIS, CYRINI, NABORIS ET NAZARII Mm.: sine I Vesperis.

13 S. ANTONII DE PADUA Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

14 S. BASILII MAGNI Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

15 . . . . . Ss. VITI, MODESTI ATQUE CRESCENTIAE Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

16 . . . . .

17 . . . . .

18 S. Ephraem Syri Diac., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. Marci et Marcelliani Mm.: sine I Vesperis; cum Credo.
19 S. Julianae de Falconeriis Virg., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. Gervasii et Protasii Mm.: sine I Vesperis; hymnus proprius.
20 . . . . . S. Silverii Papae et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.
21 S. Aloisii Gonzagae Conf., Duplex: sine I Vesperis.
22 S. Paulini Ep. et Conf., Duplex: sine I Vesperis.
23 Vigilia communis (Comment. 153-157).
24 Nativitas S. Joannis Baptistae, Duplex I classis *sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; tres hymni proprii; cum Credo.
25 S. Gulielmi Abb., Duplex: sine I Vesperis.
26 Ss. Joannis et Pauli Mm., Duplex: sine I Vesperis; Officium manet exceptum ad Laudes et II Vesperas (Comment. 20).
27 . . . . .
28 S. Irenaei Ep. et Mart., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione homiliae) Vigiliae communis (Comment. 153-157): sine I Vesperis.
29 Ss. Petri et Pauli App., Duplex I classis *sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; cum Credo; praefatio Apostolorum.
30 Commemoratio S. Pauli Ap., Duplex maius (festum secundarium). Commemoratio S. Petri Ap.: Officium manet exceptum tantum ad Matutinum et Laudes (Comment. 19); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; hymnus proprius; sine Credo; praefatio Apostolorum.

Julius

1 Pretiosissimi Sanguinis *D. N. I. C.*, Duplex I classis (festum secundarium): Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio de Cruce.
2 Visitatio B. Mariae Virg., Duplex II classis. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. Processi et Martiniani Mm.:

Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B.M.V.

3 S. LEONIS II Papae et Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

4 . . . . .

5 S. ANTONII MARIAE ZACCARIA Conf., Duplex: sine I Vesperis.

6 . . . . .

7 SS. CYRILLI ET METHODII Epp. et Cc., Duplex: sine I Vesperis; duo hymni proprii.

8 S. ELISABETH Reginae, Vid., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; duo hymni proprii.

9 . . . . .

10 Ss. SEPTEM FRATRUM Mm. ac Ss. RUFINAE ET SECUNDAE Vv. et Mm., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

11 . . . . . S. PII I Papae et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.

12 S. JOANNIS GUALBERTI Abb., Duplex. Commemoratio (sine IX lectione historica) Ss. NABORIS ET FELICIS Mm.: sine I Vesperis.

13 S. ANACLETI Papae et Mart., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; lectio 3ª historica est lectio IV; praefatio Apostolorum.

14 S. BONAVENTURAE Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

15 S. HENRICI Imperatoris, Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

16 COMMEMORATIO B. MARIAE VIRG. DE MONTE CARMELO, Duplex maius (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti); conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B.M.V.

17 S. ALEXII Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; lectio 3ª historica est lectio IV.

18 S. CAMILLI DE LELLIS Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. SYMPHOROSAE ET SEPTEM FILIORUM EIUS Mm.: sine I Vesperis.

19 S. VINCENTII A PAULO Conf., Duplex: sine I Vesperis.

20 S. HIERONYMI AEMILIANI Conf., Duplex. Commemoratio (sine IX lectione historica) S. MARGARITAE Virg. et Mart.: sine I Vesperis.

21 . . . . . S. Praxedis Virg., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.
22 S. Mariae Magdalenae Paenitentis, Duplex: sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; tres hymni proprii certis Horis assignati non transferuntur; sine Credo.
23 S. Apollinaris Ep. et Mart., Duplex. Commemoratio (sine IX lectione historica) S. Liborii Ep. et Conf.: sine I Vesperis.
24 . . . . . Commemoratio (sine lectione historica) S. Christinae Virg. et Mart.
25 S. Jacobi Ap., Duplex II classis *sine Vigilia.* Commemoratio (sine IX lectione historica) S. Christophori Mart.: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti; cum Credo; praefatio Apostolorum.
26 S. Annae Matris B.M.V., Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti.
27 . . . . . S. Pantaleonis Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.
28 Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I papae et Mart. ac Innocentii I Papae et Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.
29 S. Marthae Virg., *Semiduplex fit Simplex.* Commemoratio (sine IX lectione historica) Ss. Felicis II Papae, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.: sine I Vesperis.
30 . . . . . Ss. Abdon et Sennen Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.
31 S. Ignatii Conf., Duplex maius: sine I Vesperis.

Augustus

1 S. Petri Ap. ad Vincula, Duplex maius. Commemoratio la S. Pauli Ap. ac 2a (cum IX lectione historica) Ss. Machabaeorum Mm.: Officium manet exceptum ad Laudes et II Vesperas (Comment. 20); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; tres hymni proprii; sine Credo; praefatio Apostolorum.
2 S. Alfonsi Mariae de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Ste-

PHANI I Papae et Mart.: sine I Vesperis; cum Credo; praefatio communis.

3 INVENTIO S. STEPHANI Protomart., *Semiduplex fit Simplex* (festum secundarium): sine I Vesperis; Officium manet exceptum ad Laudes (comment. 21); amisit suas lectiones I nocturni proprias cum responsoriis propriis, nam secundum rubricas nunc post duas lectiones de Scriptura occurrenti, tertia lectio est de vita Sancti.

4 S. DOMINICI Conf., Duplex maius: sine I Vesperis.

5 DEDICATIO S. MARIAE AD NIVES, Duplex maius: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti); conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B.M.V.

6 TRANSFIGURATIO D.N.I.C., Duplex II classis. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. XYSTI II Papae, FELICISSIMI ET AGAPITI Mm.: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio Nativitatis.

7 S. CAJETANI Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. DONATI Ep. et Mart.: sine I Vesperis.

8 Ss. CYRIACI, LARGI ET SMARAGDI Mm., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; lectio 3ª historica est lectio IV.

9 S. JOANNIS MARIAE VIANNEY Conf., Duplex. Commemoratio 1a (cum IX lectione homiliae) VIGILIAE COMMUNIS (Comment. 153-157) et 2a S. ROMANI Mart.: sine I Vesperis.

10 S. LAURENTII Mart., Duplex II classis *sine Octava*: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni fiunt de Scriptura occurrenti cum responsoriis festo propriis.

11 . . . . . Ss. TIBURTII ET SUSANNAE Virg., Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

12 S. CLARAE Virg., Duplex: sine I Vesperis.

13 . . . . . Ss. HYPPOLYTI ET CASSIANI Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

14 VIGILIA COMMUNIS (Comment. 153-157). Commemoratio (sine lectione historica) S. EUSEBII Conf.

15 ASSUMPTIO B. MARIAE VIRG., Duplex I classis *sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

16 S. Joachim, Patris B. M. V., Conf. Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16), cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti.
17 S. Hyacinthi Conf., Duplex: sine I Vesperis.
18 . . . . . Commemoratio (IX lectio historica omittitur) S. Agapiti Mart.
19 S. Joannis Eudes Conf., Duplex: sine I Vesperis.
20 S. Bernardi Abb., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.
21 S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid., Duplex: sine I Vesperis.
22 Immaculati Cordis B. Mariae Virg., Duplex II classis (festum secundarium). Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. Timothei et Sociorum Mm.: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti), conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; Praefatio B. M. V.
23 S. Philippi Benitii Conf., Duplex: sine I Vesperis.
24 S. Bartholomaei Ap., Duplex II classis, *sine Vigilia*: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti; cum Credo; praefatio Apostolorum.
25 S. Ludovici Regis, Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.
26 . . . . . S. Zephyrini Papae et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.
27 S. Josephi Calasanctii Conf., Duplex: sine I Vesperis.
28 S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (sine IX lectione historica) S. Hermetis Mart.: sine I Vesperis; cum Credo.
29 Decollatio S. Joannis Baptistae, Duplex maius. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Sabinae Mart.: Officium manet exceptum tantum ad Laudes et II Vesperas (Comment. 20); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae.
30 S. Rosae Limanae Virg., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. Felicis et Adaucti Mm.: sine I Vesperis.
31 S. Raymundi Nonnati Conf., Duplex: sine I Vesperis.

September

1 . . . . . S. AEGIDII ABB., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica. Commemoratio (sine lectione historica) SS. DUODECIM FRATRUM MM.

2 S. STEPHANI Regis, Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

3 S. PII X Papae et Conf., Duplex: sine I Vesperis; Praefatio apostolorum.

4 . . . . .

5 S. LAURENTII JUSTINIANI Ep. et Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

6 . . . . .

7 . . . . .

8 NATIVITAS B. MARIAE VIRG., Duplex II classis *sine Octava*. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. HADRIANI Mart.: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

9 . . . . . S. GORGONII Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

10 S. NICOLAI A TOLENTINO Conf., Duplex: sine I Vesperis.

11 . . . . . SS. PROTI ET HYACINTHI MM., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

12 SSMI NOMINIS MARIAE, Duplex maius (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti); conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

13 . . . . .

14 EXALTATIO S. CRUCIS, Duplex maius (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; cum Credo; praefatio de Cruce.

15 SEPTEM DOLORUM B. MARIAE VIRG., Duplex II classis (festum secundarium): Commemoratio (cum IX lectione historica) S. NICOMEDIS Mart.: Officium fiit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

16 Ss. CORNELII Papae ET CYPRIANI Ep., Mm., *Semiduplex fit Simplex.* Commemoratio (IX lectio historica omittitur) Ss. EUPHEMIAE Virg., LUCIAE ET GEMINIANI MM.: sine I Vesperis.

17 IMPRESSIO SACRORUM STIGMATUM S. FRANCISCI Conf., Duplex (festum secundarium): lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; sine I Vesperis; in hymno « Iste Confessor » proprius versus.

18 S. JOSEPHI A CUPERTINO Conf., Duplex: sine I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi.

19 Ss. JANUARII Ep. ET SOCIORUM MM., Duplex: sine I Vesperis.

20 Ss. EUSTACHII ET SOCIORUM MM., Duplex: sine I Vesperis.

21 S. MATTHAEI Ap. et Ev., Duplex II classis, *sine Vigilia*: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti; cum Credo; praefatio Apostolorum.

22 S. THOMAE DE VILLANOVA Ep. et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. MAURITII ET SOCIORUM MM.: sine I Vesperis.

23 S LINI Papae et Mart., *Semiduplex fit Simplex.* Commemoratio (IX lectio historica omittitur) S. THECLAE Virg. et Mart.: sine I Vesperis; lectio 3ª historica est lectio IV; praefatio Apostolorum.

24 B. MARIAE VIRG. DE MERCEDE, Duplex maius (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti); conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

25 . . . . .

26 . . . . . Ss. CYPRIANI ET JUSTINAE Virg., Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

27 Ss. COSMAE ET DAMIANI MM., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; lectio 3ª historica fit ex lectionibus IV et V in unam iunctis.

28 S. WENCESLAI Ducis, Mart., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

29 DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, Duplex I classis: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; cum Credo.

30 S. HIERONYMI Presb., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

October

1 . . . . . S. REMIGII Ep. et Conf., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

2 Ss. ANGELORUM CUSTODUM, Duplex maius: Officium manet exceptum tantum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo.

3 S. TERESIAE A JESU INFANTE Virg., Duplex: sine I Vesperis.

4 S. FRANCISCI Conf., Duplex maius: sine I Vesperis.

5 . . . . . Ss. PLACIDI ET SOCIORUM MM., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

6 S. BRUNONIS Conf., Duplex: sine I Vesperis.

7 Sacratissimi ROSARII B. Mariae Virg., Duplex II classis (festum secundarium). Commemoratio 1a (cum IX lectione historica) S. MARCI Papae et Conf.; Commemoratio 2a Ss. SERGII, BACCHI, MARCELLI ET APULEII MM. *omittenda est*: Officium fit partim exceptum (Comment 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

8 S. BIRGITTAE Vid., Duplex: sine I Vesperis.

9 S. JOANNIS LEONARDI Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. DIONYSII Ep., RUSTICI ET ELEUTHERII Mm.: sine I Vesperis.

10 S. FRANCISCI BORGIAE Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

11 MATERNITATIS B. MARIAE VIRG., Duplex II classis (festum secundarium): Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propriae et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.

12 . . . . .

13 S. EDUARDI Regis, Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

14 S. CALLISTI I Papae et Mart., Duplex: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

15 S. TERESIAE *Virg.*, Duplex: sine I Vesperis; duo hymni proprii.

16 S. HEDWIGIS Vid., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

17 S. MARGARITAE MARIAE ALACOQUE Virginis, Duplex: sine I Vesperis.

18 S. Lucae Ev., Duplex II classis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti; cum Credo; praefatio Apostolorum.

19 S. Petri de Alcantara Conf., Duplex: sine I Vesperis.

20 S. Joannis Cantii Conf., Duplex: sine I Vesperis; tres hymni proprii certis Horis assignati non transferuntur.

21 . . . . . S. Hilarionis Abb., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica. Commemoratio Ss. Ursulae ac Sociarum Vv. et Mm.

22 . . . . .

23 . . . . .

24 S. Raphaelis Archangeli, Duplex maius: Officium manet exceptum tantum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo.

Dominica ultima Octobris — D. N. I. C. Regis, Duplex I classis: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; sine IX lectione homiliae Dominicae (IX lectio festi componenda est ex divisione VIII lectionis, sive ex VII et VIII faciendae sunt tres lectiones); conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio propria.

25 . . . . . Ss. Chrysanthi et Dariae Mm., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica.

26 . . . . . S. Evaristi Papae et Mart., *Simplex fit Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.

27 . . . . .

28 Ss. Simonis et Judae App., Duplex II classis, *sine Vigilia*: Officium fit partim exceptum (Comment 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; cum Credo; praefatio Apostolorum.

29 . . . . .

30 . . . . .

31 . . . . .

November

1 Omnium Sanctorum, Duplex I classis, *sine Vigilia et sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis pro-

priae; cum Credo; duo hymni proprii; Vesperae et Completorium Defunctorum omittuntur, ut videtur.

2 COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, Duplex: sine I Vesperis, ut videtur; nihil innovatur, praeter rubricam de sequentia « Dies irae » dicenda (Ord. V 6).

3 . . . . .

4 S. CAROLI Ep. et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) SS. VITALIS ET AGRICOLAE Mm.: sine I Vesperis.

5 . . . . .

6 . . . . .

7 . . . . .

8 . . . . . Commemoratio (IX lectio historica omittitur) Ss. QUATTUOR CORONATORUM Mm.

9 DEDICATIO ARCHIBASILICAE SSMI SALVATORIS, Duplex II classis. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. THEODORI Mart.: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; cum Credo.

10 S. ANDREAE AVELLINI Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) Ss. TYPHONIS, RESPICII ET NYMPHAE Virg., Mm.: sine I Vesperis.

11 S. MARTINI Ep. et Conf., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. MENNAE Mart.: Officium manet exceptum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones fiunt de Scriptura occurrenti sed responsoria manent propria.

12 S. MARTINI I Papae et Mart., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.

13 S. DIDACI Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis.

14 S. JOSAPHAT Ep. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.

15 S. ALBERTI MAGNI, Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

16 S. GERTRUDIS Virg., Duplex: sine I Vesperis.

17 S. GREGORII THAUMATURGI Ep. et Conf., *Semiduplex fit Simplex*: sine I Vesperis; lectio 3ª historica fit ex lectionibus IV et V in unam iunctis.

18 DEDICATIO BASILICARUM SS. PETRI ET PAULI App., Duplex maius: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni propriae cum responsoriis de communi; cum Credo.

19 S. ELISABETH Vid., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. PONTIANI Papae et Mart.: sine I Vesperis; praefatio communis.

20 S. Felicis de Valois Conf., Duplex: sine I Vesperis.
21 Praesentatio B. Mariae Virg., Duplex maius: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); sine I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis de communi (ut videtur, alias de Scriptura occurrenti); conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.
22 S. Caeciliae Virg. et Mart., Duplex: Officium manet exceptum ad Matutinum, Laudes et II Vesperas (Comment. 18); sine I Vesperis; lectiones I nocturni fiunt de Scriptura occurrenti sed responsoria manent propria.
23 S. Clementis I Papae et Mart., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Felicitatis Mart.: Officium manet exceptum ad Laudes et II Vesperas (Comment. 20); sine I Vesperis; praefatio Apostolorum.
24 S. Joannis a Cruce Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Chrysogoni Mart.: sine I Vesperis; cum Credo.
25 S. Catharinae Virg. et Mart., Duplex: sine I Vesperis.
26 S. Silvestri Abb., Duplex. Commemoratio (cum IX lectione historica) S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.: sine I Vesperis.
27 . . . . .
28 . . . . .
29 . . . . . Commemoratio (sine lectione historica) S. Saturnini Mart.
30 S. Andreae Ap., Duplex II classis, *sine Vigilia*: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; cum Credo; praefatio Apostolorum.

December

1 . . . . .
2 . . . . . S. Bibianae Virg. et Mart., *Semiduplex non fit Simplex sed Commemoratio* sine lectione historica.
3 S. Francisci Xaverii Conf., Duplex maius: sine I Vesperis.
4 S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Commemoratio (sine IX lectione historica) S. Barbarae Virg. et Mart.: sine I Vesperis, cum Credo.
5 . . . . . Commemoratio (sine lectione historica) S. Sabbae Abb.
6 S. Nicolai Ep. et Conf., Duplex: sine I Vesperis.
7 S. Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex: sine I Vesperis; cum Credo.

8 CONCEPTIO IMMACULATA B. M. V., Duplex I classis *sine Vigilia et sine Octava*: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius; cum Credo; praefatio B. M. V.
9 . . . . .
10 . . . . . Commemoratio (sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum) S. MELCHIADIS Papae et Mart.
11 . . . . . S. DAMASI I Papae et Conf., *Semiduplex non fit Simplex sed Commemoratio* sine lectione historica et sine praefatione Apostolorum.
12 . . . . .
13 S. LUCIAE Virg. et Mart., Duplex: Officium manet exceptum ad Laudes et II Vesperas (Comment. 20); sine I Vesperis.
14 . . . . .
15 . . . . .
16 . . . . . S. EUSEBII Ep. et Mart., *Semiduplex non fit Simplex sed Commemoratio* sine lectione historica.
17 . . . . .
18 . . . . .
19 . . . . .
20 . . . . .
21 S. THOMAE Ap., Duplex II classis, sine Vigilia: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis fiunt de Scriptura occurrenti; cum Credo; praefatio Apostolorum.
22 . . . . .
23 . . . . .
24 VIGILIA privilegiata I classis (Comment. 149-151).
25 NATIVITATIS D. N. I. C., Duplex I classis cum Octava privilegiata III ordinis: Officium manet exceptum ex integro (Comment. 15); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; conclusio hymnorum propria et versus ad Primam proprius usque ad Epiphaniam exclusive; cum Credo; praefatio et Communicantes Nativitatis per Octavam; commemoratio S. ANASTASIAE Mart. in secunda Missa (etiam cantata); proprium Evangelium ultimum in tertia Missa.
26 S. STEPHANI Protomart., Duplex II classis *sine Octava*. Commemoratio Octavae Nativitatis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis (tantum theoretice, si est II classis); lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; sine Credo; praefatio Nativitatis.
27 S.JOANNIS Ap. et Ev., Duplex II classis *sine Octava*. Comme-

moratio Octavae Nativitatis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; cum Credo; praefatio Apostolorum.

28 Ss. INNOCENTIUM Mm., Duplex II classis *sine Octava*. Commemoratio Octavae Nativitatis: Officium fit partim exceptum (Comment. 16); cum I Vesperis; lectiones I nocturni cum responsoriis propriae; duo hymni proprii; sine Credo; praefatio Nativitatis.

29 S. THOMAE Ep. et Mart., Duplex. Commemoratio Octavae Nativitatis: sine I Vesperis; sine Credo; praefatio Nativitatis.

30 DE VI DIE INFRA OCTAVAM NATIVITATIS, *Semiduplex fit Duplex* (Comment. 178).

31 S. SILVESTRI I Papae et Conf., Duplex. Commemoratio Octavae Nativitatis: sine I Vesperis; sine Credo; praefatio Apostolorum.

H. SCHMIDT S. J.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

QUAESITA MINORA

I

De religiosis nominandis canonicis ad honorem vel non

Quaeritur: An religiosus *canonicus ad honorem* in ecclesia cathedrali aut collegiali cum privilegiis et insignibus propriis canonicorum, nominari valeat.

* * *

Auctor notarum Actorum Sanctae Sedis (vol. 3, p. 139) scribebat: « Quando nova institutio oritur, novae leges sunt determinandae, quibus eadem institutio dirigatur. Eiusmodi leges circa canonicos honorarios adhuc haberi non videntur: de qua re iura cum sileant, dicere ad nos non pertinet ». Postquam haec scripta sunt, prodierunt Litterae Apostolicae Leonis XIII « *Illud est proprium* », diei 29 ianuarii 1894, et canones 406, 407 Codicis Iuris canonici, qui Leonis XIII praescripta

fere ad integrum retulerunt. Sed ad quaestionem nostram quod attinet, hae leges silere pergunt. Quare solutio quaerenda est ad normam canonis 20. At auctores et doctrina pariter tacent. Igitur quaedam delibabimus ex principiis generalibus iuris canonici et quibusdam legibus latis in similibus.

1. Quid veniat nomine « canonici ad honorem » non est facile dicere. Antiqui eos supranumerarios dicebant eo sensu a titularibus distinctos, quatenus praebenda carebant et eam partem officii canonicalis assumebant, quae ex vocatione ab Episcopo cum Capitulo eisdem assignabatur. Non omnes canonici supranumerarii erant mere honorarii, sed species eorum tantum; quam distinctionem vide apud Bouix, *de Capitulis* p. 145, desumptam ex Scarfantonio, *de Canonicis,* lib. I, tit. 14. Antiqui eos irridebant, vocantes Canonicatum honorificum *nomen vacuum, Dignitatem ventosam.* Saeculo XIX institutio canonicorum ad honorem repristinata ex necessitate quodammodo fuit, cum in multis regionibus, praesertim in Gallia, veri capitulares cum praebendis deessent vel pauci essent omnino, et hi canonici instituerentur « ad augendum Episcopi senatum » Cfr. Acta S. Sedis, v. 3, p. 139; v. 4, p. 579.

Ex frequentiori hac institutione, abusus plerique orti sunt, de quibus Litt. Leonis XIII desuper citatae; inter quos etiam ille, qui canonicis ad libitum nominatis tribuebat mera privilegia et insignia seu iura honorifica etiam contra voluntatem Ordinarii in cuius dioecesi erant incardinati.

2. Quoad iura et honores magis specifice haec dici possunt: Ea tantum iura et honores obtinere possunt, qui in illorum canonicatuum erectione concessa et concordata fuerunt, vel qui ex consuetudine iis dari solent. Communiter gaudent iure deferendi habitum cum insignibus canonicalibus, habentque stallum in choro, eique, si illis placuerit, assistere et interesse valent. Aequiparandi sunt canonicis titularibus quoad usum insignium, cum sacris funguntur ministeriis in choro cathedralis. Non tenentur ad residentiam et ad chori frequentationem. Non tenentur ad assistentiam altaris, neque ad celebrationem hebdomadariam, nisi talis sit consuetudo, vel haec conditio in eorum receptione imposita fuerit. Cfr. De Herdt, *Praxis Capitularis*, p. 103.

Codex Iuris canonici haec supponit, quia magis iure consuetudinario vel conventione iura, praeter honorifica, canonicis honorariis tribuuntur.

3. In sensu lato vocis *Dignitatis*, in Codice I. C., dignitas excellentiam quamdam dicit, cuius effectus est dare ius praecedentiae. Hinc in gradibus qui habentur inter clericos vel religiosos, dignitates dicuntur tantum quae illam praeexcellentiam afferunt. Quae excellentia, si coniuncta sit cum officio vel iurisdictione in foro externo dicitur *praelatura* (can. 110). Canones Codicis Iuris Canonici, praesertim poenales, sic distinguunt inter *dignitates, officia* et *beneficia* (cc. 2265, 2314, etc.). Etiam canon 626, qui nostra maxime interest, distinguit « dignitates, officia aut beneficia ». Fere omnes dignitates habebunt aut officium aut beneficium. At-

tamen non videtur impossibile in iure canonico, ut dignitas sit sine aliquo officio aut beneficio. Quod dignitas haberi possit sine beneficio patens est ex officio et dignitate Vicarii Generalis. Quod autem dignitas haberi possit sine officio, videtur quoque admittendum, praesertim in Aula Pontificali, ubi habentur Familiares Summi Pontificis « etiam honoris tantum » (cfr. can. 1435).

4. Iam vero canonici ad honorem (qui per se non sunt confundendi cum canonicis supernumerariis) (cfr. Bouix, *De Capitulis*, p. 142) videntur habere veram dignitatem ecclesiasticam, eamdem quam canonici titulares. Nam etsi eos officium forsitan habere dici nequeat (exceptis illis canonicis supernumerariis vel honorificis, quibus quandoque verum officium erat traditum), sed habent iura honorifica canonicorum et scamnum in choro (can. 407 § 2). Iura praeterea supra (num. 2) recensita, quibus communiter gaudent, absque dubio comportant illum modum et condicionem, quae eos in vera praeminentia collocat supra alios sacerdotes, qui dignitate canonicali carent.

Nominatio religiosi ad munus « canonici ad honorem » videtur cadere sub praescripto can. 626. Incompatibilitas canonicatus ad honorem datur cum statu religioso; idque non una tantum ratione.

Nam ius assistendi officio chorali difficulter componitur cum obedientia Superioribus debita, praesertim quoad residentiam in determinato loco. Verum est quod canonicus ad honorem non tenetur communiter ad residentiam et ad chori frequentationem, ut dicebamus. At ius ab iisdem cum ca-

nonicatu adquisitum non potest esse submissum obedientiae Superioris, cum eius iuris origo et fons sit ius commune, substractum ab auctoritate superioris religiosi.

Quod autem attinet honores et privilegia mere honorifica, ut sunt habitus canonicalis et insignia, etsi in choro tantum assumenda, nimis patens est quam alienum id sit a modestia et humilitate religiosa, nisi expresse in iure concedantur ea religiosis, utputa iis qui Cardinales aut Episcopi sive residentiales sive titulares renuntiantur. Imo vero, Benedictus XV iniunxit Episcopis e regularibus Ordinibus, ut eodem prorsus modo induti incederent ac saeculares Episcopi, salvo nimirum usitato vestimentorum colore et qualitate (Cfr. AAS 1920, 149; can. 596). Et hoc usu coloris et qualitatis habitus, signum modestiae in his excelsis dignitatibus adhuc observatur. Adde quod in quibusdam Capitulis ex privilegio apostolico adsunt maiores honores, veluti si Protonotarii apostolici eo ipso renuntientur, aut Praelati Domestici etc.; quia tunc haec privilegia apostolica non habent limites loci, uti habent insignia canonicalia in choro aut dioecesi. Quae omnia cum vita communi, ad quam obligantur religiosi praeter quam Cardinales vel Episcopos residentiales, non componuntur.

5. Neve obiiciatur : canonem 406 generali modo de « sacerdotibus » loquutum esse, et quoniam « ubi lex non distinguit, nec non distinguere debemus », censendum esse etiam sacerdotes religiosos comprehensos in facultate Episcopis ibidem concessa. Sed haec interpretatio fallit ex multiplici capite.

Nam canon 406 sequitur immediate cc. 404, 405, ubi pariter sermo est de conferendis canonicatibus « sacerdotibus ». Certum vero est in eis solum de sacerdotibus saecularibus sermonem fieri: agitur enim, de beneficiis saecularibus, quae, ad normam can. 1442 nonnisi sacerdotibus e clero saeculari conferenda sunt. Capitula canonicorum, de quibus totum caput agit, sunt Capitula saecularia, et omnes dignitates et canonicatus ibidem sunt proinde saecularia beneficia.

At Codex immediate transiens ad canonicatus ad honorem, eodem sensu intelligat necesse est verbum « sacerdotes », si hoc verbum sine alia specificatione adhibet. Secus contextus peteret specificationem vel melius generalizationem verbi.

Etiam littera Codicis in ipso textu exigit verbum: « sacerdotes » adhibere pro solis sacerdotibus saecularibus. In § 1 verbum « sacerdotes » non occurrit, sed dicitur: « canonicos ad honorem nominandi sive dioecesanos sive extradiocesanos »; verbum autem « canonicos » intelligas secundum sensum verbi usurpatum in canonibus immediate praecedentibus, in quibus eorum qualitates describuntur. Praeterea qualificatio « sive dioecesanos sive extraordiocesanos » unice in casu convenit sacerdotibus e clero saeculari, nempe illis, qui alicui dioecesi adscripti seu incardinati sunt (cc. 111, 112, 114, 115, 585, 641 § 2). Nam omnes clerici aut alicui dioecesi aut alicui religioni adscripti sint oportet. Et etiamsi nomine sacerdotis extradiocesani in iure venire possit sacerdos religiosus (cfr. can. 1341 § 1), tamen in canone nostro paragraphus altera sensum sacerdotis extradioecesani determi-

nat, nempe, « sacerdos alienae dioecesis ». Iam vero, hic in can. 144 intelligitur sacerdos incardinatus in aliqua dioecesi, et non adscriptus alicui religioni.

Ceterum, male applicaretur canonis 406 paragraphus altera sacerdotibus religiosis non exemptis, cum Ordinarius « cui subiectus est nominandus », et cuius assensum impetrari debet « sub poena nominationis irritae », non sit eius Superior maior, qui in iure non venit nomine Ordinarii (can. 198 § 1). Et puto quod pro hoc casu, nullus auctor intelligeret nomine Ordinarii Superiorem maiorem Congregationis clericalis non exemptae, prout quibusdam visum est, illum Ordinarii nomine quandoque venire posse. (Larraona, CpR, IV, p. 116).

II

De laicis nominandis canonicis ad honorem vel non

Quaeritur: An laicus *canonicus ad honorem* in ecclesia cathedrali aut collegiali ab Episcopo nominari queat.

* * *

Dubio plurimam ansam dederunt sequentia: Canonis 406 Codicis iuris canonici paragraphus prima, cum simpliciter « canonicos » nominet, videtur non excludere laicos. Nam in historia legitur Capitulorum, etiam laicos quandoque canonicos honorarios electos esse. Cum nuperrime in Const.

Apostolica *Hispaniarum fidelitas* (AAS, 1954, p. 193) « Nationis Hispanicae Moderator Protocanonicus Liberiani templi habeatur, cui honores seu privilegia iuxta traditum morem sint tribuenda, cum sacrarum caeremoniarum sollemnia peragantur », dignitas canonicalis honoraria cum laicorum statu incompatibilis non videretur. Unde canon 406 § 1 Episcopo cum consilio sui Capituli ius tribuens canonicos ad honorem nominandi, hanc facultatem, qua Episcopus raro et caute uti debet (cfr. ib.), non videtur limitare nisi eiusdem Episcopi sola discretione.

1. Const. Apostolica *Hispaniarum fidelitas* (5 augusti 1953) nihil est aliud nisi complicatae cuiusdam resolutio quaestionis iudiciariae apud Sacram Romanam Rotam inter Capitulum Basilicae Sanctae Mariae Maioris et mensas episcopales dioecesium Mazzariensis et Cataniae (in Sicilia) circa solutionem iurium regaliae per plures annos agitatam. Iura, quae dicuntur, regaliae illarum dioecesium erant fundamentum Operis Pii Hispanici Sanctae Mariae Maioris quod Philippus IV, Rex Hispaniae, in Basilica constituerat. Per Bullam, *Sacri Apostolatus* diei 7 octobris 1647 (cfr. Bullarium Romanum, ed. Augustae Taurinorum, XV, pp. 532-544) Pium Opus canonice erectum fuit. Innocentius X Hispaniarum Regi peculiaria privilegia concedebat: quod Rex *Patronus* Basilicae considerabatur, eique nominatio decem canonicorum et cappellanorum in cappellis Praesepii et Pauli V spectabat: quod singulis annis tres Missae solemnes legerentur cum assistentia totius Capituli

et cleri Basilicae, in quibus Rex Patronus aut eius Legatus honores accipiebat liturgicos, et alia bene multa.

Const. Apostolica *Hispaniarum fidelitas* totum Opus Pium innovavit, per institutionem novae piae fundationis, in qua Gubernium hispanicum novum onus sibi sumit, liberatis dioecesibus italis a qualibet obligatione, solvendi singulis annis summam pecuniae (8.000 pesetas - aureas); hinc quaedam ex antiquis privilegiis conceduntur aut confirmantur. « Sedes Apostolica primum decernit ut Nationis Hispanicae Moderator Protocanonicus Liberiani templi habeatur, cui honores seu privilegia iuxta traditum morem sint tribuenda, cum sacrarum coeremoniarum sollemnia peragantur. Qui honores, si ille absit, eius legato debentur, inter tria sacra facienda, quae tertio commate huius Conventionis praescribuntur ».

Manifestum est, hanc Protocanonici figuram, formam induere peculiarem, praeter ius instituendi canonicos ad honorem de quo in Codice Iuris Canonici, idque ob plenam potestatem Romani Pontificis concessum.

2. Canonici ad honorem de quibus in canonibus 406, 407, sacerdotes sint oportet. Nam canonici honorarii, ad mentem iuris antiqui, intelliguntur illi qui accepti in Capitulis sine praebenda, inserviunt tamen aliis et antiquis canonicis et ecclesiae. Sunt quoque canonici *mere honorarii* qui nullum praestent aut praestare teneantur ecclesiae cui adscribuntur servitium. De iis egit S. C. Concilii in una *Hipporegien.*, 4 iunii 1836 (cfr. Thesau-

rus Resolutionum S. C. C. t. 96, p. 543) et in quibusdam aliis resolutionibus, cum praxis inoleverit honorarios creandi canonicos *clericos* quosdam doctrina et meritis insignes. Id decursu saeculi XIX aliquantulum invaluit. « Legitimitas, ait Bouix (*tract. de Capitulis*, p. 153), illius praxis inde etiam erui potest, quod nulla ei contraria lex ecclesiastica afferri potest. Iura enim quae prohibent creari canonicum sine praebenda aut expectativa praebendae, commode interpretantur de canonicis proprie dictis, ita ut applicanda non veniant *honorariis* qui ius canoniae proprie dictum non habent. Et tandem praxis quae ita generalis evasit et cui assentit praxi stylus Congregationum romanarum, satis ex hoc ipso canonizatur, si quid dubii circa eius liceitatem antea obfuisset. Imo nemo non videt quam utile sit in Ecclesia, posse *viros ecclesiasticos* qui de religione bene meriti sunt, publico honoris testimonio ab episcopis et capitulis condecorari ».

3. Litterae Apostolicae « *Illud est proprium* », e quibus, ut dicebamus, canones 406, 407 desumpti sunt, expresse de *ecclesiasticis* viris agunt, qui nominandi sint canonici ad honorem extra dioecesim Ordinarii, cui nominandus subiicitur. Praeierat illis Litteris Decretum Generale S. C. Concilii (16 sept. 1884, in ASS, 17, p. 554), in quo haec sanciuntur: « Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres Sanctissimi mandata exsequentes, auctores Tibi (decr. gen. ad omnes Episcopos missum fuit) sunt, ut raro admodum et caute honoris

titulos vel insignia tuis (clericis) impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum umquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur ».

Cum omnino constet haec documenta fontes esse nostrorum canonum 406, 407 C. I. C., patet in eis sermo tantum esse de clericis, atque nullatenus mentem legislatoris fuisse ea vel laicis applicare. Sed et ipse textus et contextus (cfr. can. 18) Codicis in hoc loco de sacerdotibus tantum refert. Nam de conferendis canonicatibus sacerdotibus agunt tum canones praecedentes (cc. 404, 405), tum can. 406 § 2. Nec praescripta canonum 406, 407 bene componerentur cum canonicis laicis « dioecesanis sive extradioecesanis », atque multo minus obtentio *insigniorum* canonicalium, quae omnino laicis non incumbunt. Adde insuper canonicos ad honorem verum quandoque officium ecclesiasticum stricte sumptum obtinere, cuius laici sunt ex iure communi incapaces (cc. 118, 153).

Solum restat, ut nominatio laici in canonicum ad honorem reservata sit Sedi Apostolicae, cuius ius id faciendi absque dubio affirmandum est, cum Romanus Pontifex suis legibus positivis non teneatur, et tralaticium sit Summum Pontificem has vel similes gratias concedere posse ea forma et mensura quae sibi bene visae fuerint (Conc. Trid., sess. 25, c. 21).

III

De iure praecedentiae officialis tribunalis dioecesani

Quaeritur: An Officiali iura competant praecedentiae quae in Codice Juris Canonici pro Vicario Generali decernuntur.

* * *

1. Neque ius Codicem Juris canonici praecedens, neque ipse Codex ullam in favorem Officialis normam specialem circa eius praecedentiam statuit.

Canon 370 expresse agit de iure praecedentiae quod habet Vicarius Generalis; at aliquid simile pro Officiali, quatenus munus a Vicarii Generalis munere (can. 1573 § 1) diversum est, in Codice non stabilitur. Ideoque pro iuribus praecedentiae quae Officialis in dioecesi habere potest standum est canoni 106, qui normas generales tradit circa praecedentiam inter varias personas seu physicas seu morales.

2. Quidam voluerunt eamdem praecedentiam Vicario Generali ac Officiali tribuere, ea ratione ducti, quod sicut Vicarius Generalis habet potestatem ordinariam vicariam, nomine Episcopi exercendam, quae ad gubernationem et administrationem dioecesis sese extendit, sic Officialis gaudet

potestate ordinaria vicaria (cfr. can. 1573) iudiciali in dioecesi, et proinde unum Tribunal constituit cum Episcopo loci (can. 1573 § 2), in quo omnes causas iudiciales, ad normam iuris, agitari convenit, quae in dioecesi promoveantur. Unde aiunt: quia Vicarius Generalis personam Episcopi gerit, ex eadem obtinet praecedentiam (can. 106, n. 1), quemadmodum expresse in canone 370 declaratur; sic etiam Officialis, quia personam gerit Episcopi, ex eius persona praecedentiam obtinere debet, iisdemque praecedentiae iuribus gaudeat oportet, quae in canone 370 pro Vicario Generali declarata sunt. Prospiciunt, nempe, veram in casu haberi lacunam iuris, ex analogia seu legibus latis in similibus implendam (can. 20); et quia aequiparatorum eadem est dispositio iuris, etiam per extensionem, eadem iura praecedentiae quae in Codice Vicario Generali competunt, etiam Officiali decernunt.

3. Verumtamen asserta munerum aequiparatio perfecta existere non videtur, et ideo iure meritoque specialem normam Codex pro Officiali, prout in casu Vicarii Generalis fecit, inserere noluit. Etenim iurisdictio Vicarii Generalis in dioecesi est universalis, ad omnes subditos sese extendens, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis; propter eam « Vicarius Generalis publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus », excepto casu quo « clericus charactere episcopali praefulgeat et Vicarius Generalis eodem careat » (can. 370).

At iurisdictio Officialis vel eius potestas aliter omnino se habet. Imprimis Officialis non est Ordinarius (can. 198). Codex recensens Ordinarios et Ordinarios loci, Vicarium Generalem comprehendit (cfr. ib.), Officialem, vero, inter illos non enumerat; quin imo, in canone 1946 § 2 Officialem ab Ordinario clare secernit. Praeterea, Officialis ne Superior quidem est subditorum Episcopi nisi quando et quatenus hi in iudicio coram ipso sistant. Munus, insuper, Officialis, secus atque illud Vicarii Generalis, non est continuum, sed suapte natura interruptum et ad locum Tribunalis coarctatum, quia tantum « ubi causae cognitio est, ibi praetor desideratur » (D. 50, 17, 105).

Haec sint dicta, ut omittamus discrimen quod in ordine ad officii cessationem habetur; quia Vicarius Generalis cessat vacante sede episcopali (can. 371), dum Officiales, vacante sede, a munere non cessant (can. 1573 § 5).

Munus igitur Officialis muneri Vicarii Generalis plene aequiparari non potest. Axiomati iuris « aequiparatorum eadem est dispositio » recte in Glossa adiungitur : « intellige aequiparationem debere esse universalem per viam regulae, et in omnibus et per omnia, ad hoc ut fiat extensio in aequiparatis ». (Cfr. BARBOSA, *Axiomata iuris usufrequentiora*, Axioma XIV). Quod quidem, siquidem in casu nostro certo non obtinet, impedire visum est quominus iura praecedentiae Vicarii Generalis muneri Officialis in Codice decernantur.

4. At cum munus Officialis praestans omnino in dioecesi habeatur, quod in se continet unitatem

tribunalis Episcopi et Officialis, cum etiam ille constitutus sit in vera Praelatura iurisdictionis, aptissimum erit, si Episcopus ad normam can. 106, n. 6, ratione habita principiorum iuris communis et legitimarum dioecesis consuetudinum, eidem muneri iura quaedam praecedentiae concedat, quae munus ipsis commissum postulare videtur.

IV

De iure praecedentiae Vicarii Generalis

Quaeritur : An lex praecedentiae in canone 370 pro Vicario Generali constituta, in Hispania et quibusdam aliis nationibus vigeat.

* * *

1. Concordatum inter Sanctam Sedem et Hispaniam anno 1953 initum (AAS. 1953, pp. 625-656) Conventionem anno 1946 inter easdem partes habitam in art. 10 renovavit. Sed haec Conventio constitutionem Capitulorum hispanicorum intactam reliquit; unde illa constitutio pro exsistentibus capitulis hodie quoque ex praescriptis Concordati anni 1851 desumenda est, dum pro novis erigendis in Const. Apostolica, quae ea erigat, describenda erit.

2. Ratio dubii supra propositi, et etiam negandi vim canonis 370 in Hispania, a nonnullis canonistis vr. gr. Ferreres (*Instituciones canóni-*

cas, I, 673) sequens affertur. Art. 13 Concordati hispanici anni 1851 dicit: « Unumquodque Cathedralium Ecclesiarum Capitulum constabit Decano, qui semper *primam* Sedem post Pontificalem obtinebit », vel melius in textu hispanico: « El cabildo de las iglesias catedrales se compondrá del deán, que *será* siempre la primera silla *post Pontificalem* »[1].

Unde arguitur: « Codicis (Juris canonici) canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; eae idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus » (can. 3). Si vero Decanus obtinet *primam* sedem post Pontificalem, Vicarius Generalis in choro et in actibus capitularibus eidem praecedere non potest.

3. Haec argumentatio imprimis contrahit quaesitum ad praecedentiam in choro et in actibus capitularibus, nec ultra hunc casum extendi potest, ita ut extra chorum et extra actus capitulares, praescriptum canonis 370 applicari non debeat. Lex in Codice statuta iura praecedentiae Vicarii Generali constituit exercenda omnibus in adiunctis (publice privatimque, ut ait canon); articulus, autem, 13 Concordati ad sedes canonicales sese refert. Et inde licet iam primam consequentiam deducere circa sensum locutionis concordatariae: « prima sedes post Pontificalem » non significare

[1] Haec formula in Concordatis aut Bullis saeculi XIX passim adhibita, dubium praesens quodammodo generale facit.

praecedentiam ullam Decani prae Vicario Generali, sed relationem dicere ad constitutionem Capituli in quo Decanus primus sedet.

4. Si alia documenta conferimus, quibus eadem vel similis sententia reperiatur, facile demonstrabimus locutionem concordatariam ullam servandae praecedentiae in Capitulis significationem non habere, sed internam Capituli constitutionem designare, iuxta quam in Hispania prima dignitas in Capitulis est Decanatus, secus ac in aliis regionibus vr. gr. in Bavaria, ubi est secunda. Scilicet Concordata, in quibus constitutio Capitulorum definitur, prima Capituli dignitas quae sit, per illam aut similem formulam declarant.

5. Sic in Ordinatione dioecesium latinarum imperii Russici, a. 1798 (cfr. Mercati, *Raccolta di concordati*, p. 547) legitur Capitulum Miuscense componere « Praepositurum, *quae inibi post Pontificalem* (est) *maior* ... ». Statuta autem Capituli sic sonant (ib. pag. 551): « I. Quod Praepositus, *prima post Episcopalem dignitas,* primum semper inter Dignitates et Canonicos habeat locum ... ».

In nova circumscriptione dioecesium regni Borussici, a. 1821, legitur (Mercati, l. c. p. 650): « Quod spectat Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis, in eo duas erigimus dignitates, Praeposituram videlicet, *quae Maior erit post Pontificalem,* ac Decanatum secundam ... In Cathedrali Ecclesia Monasteriensi Capitulum constituent binae Dignitates, *Maior nempe Praepositurae,* ac secunda Decanatus ... ».

Item in nova circumscriptione dioecesis Basileensis, a. 1828, dicitur (MERCATI, l. c. p. 715): « Novum autem in dicta Cathedrali Capitulum constare volumus decem et septem Canonicis; comprehensis in hoc numero Praepositura, *Maiori post Pontificalem prima,* ac Decanatu secunda Dignitate ... ».

Quod autem formula « maior post Pontificalem » « prima sedes post Pontificalem » sit indicativa constitutionis Capituli, luculenter apparet etiam ex Concordato hispanico, anni 1753, in quo ad numerum 5 (MERCATI, l. c. pag. 430) legitur: « Sua Santità accorda a S. M. il Re Cattolico e ai Re Suoi Successori perpetuamente il diritto universale di nominare e presentare indistintamente in tutte le Chiese Metropolitane, Cattedrali, Collegiate e Diocesi dei Regni delle Spagne, che attualmente possiede, alle *Dignità maggiori post Pontificalem,* ed alle altre Dignità nelle cattedrali, ed alle Dignità principali ed altre nelle Collegiate, ai canonicati, porzioni, prebende etc. ».

6. Plerumque, scilicet, in Concordatis per illas formulas indicatur quaenam sit prima dignitas in Capitulis. At non solum in Concordatis, verum in Bullis quoque pontificiis. Sit ad exemplum quod in causa *Cuneen. et Utinen.* Praecedentiae, in S. Congregatione Concilii agitata (A.A.S. XI, p. 349 s.) legitur: « in bulla provisionis hodierni canonici Prioris, a. 1889, dicitur Prior esse *prima dignitas post Episcopalem* ». Luculentissime in eadem causa probatur in specie agi de *interna* con-

stitutione Capituli, et affirmatur ab ea independentem esse quaestionem de iure praecedentiae definiendo inter personas sive physicas sive morales. Frustra esse allegatum in casu ius quaesitum animadversiones ostendunt, cum Codex immutasset ius, vel melius totam materiam de iure praecedentiae *de novo* ordinasset.

Hoc idipsum valere debet in casu nostro, cum in Concordato hispanico a. 1851, nulla sit praescriptio, ut ostendimus, de praecedentia Decani in choro et in actibus capitularibus, sed formula art. 13 « prima sedes post Pontificalem » ordinem Dignitatis Decani in Capitulis hispanicis demonstret.

Quare resolutiones tum in Causa *Cuneen. et Utinen.* Praecedentiae supra memorata, tum in causa *Lucerina,* Praecedentiae (A.A.S. XVI, p. 371 s.) suam omnimodam vim etiam in Hispania et in aliis regionibus habent.

Quodsi Ferreres (*Instituciones canónicas,* I, n° 673) dicit: « Después del Código, hasta la fecha en que esto escribimos (1926) continúa el Vicario General en España ocupando el asiento que por antigüedad o por dignidad como canónigo le corresponde », haec praxis Capitulorum hispanicorum (non universalis, nec sine controversia, ut ostendit hodiernum quaesitum) non nititur fundamento iuridico solido et corrigi debuit, ac debet.

7. In Capitulis erectis in Hispania, post Concordatum anni 1953 (vr. gr. Capitulum Huelvensis Cathedralis, AAS, 1954, p. 648) Constitutio

Apostolica, quamvis Decanum primam dignitatem enumeret, nulla amplius utitur formula: « prima post Pontificalem », cum haec antiquata dici oporteat.

V

Quaeritur: An Vicarius Generalis, vi praecedentiae, gaudeat privilegiis, quibus gaudent Dignitates in quibusdam Capitulis, vr. gr. non fungendi ministerio diaconi et subdiaconi, nisi Episcopo in Missa Pontificali; non fungendi officio celebrantis divinum officium, nisi diebus solemnioribus etc.

* * *

Praedictae exemptiones vel praerogativae, quae iuxta canonem 416 in statutis Capitularibus determinandae sunt, non aliud significant nisi praerogativas quae ratione praestantiae dignitatibus et canonicis theologo et paenitentiario competunt. Iam vero, ratione praestantiae, etiam in choro, Vicarius Generalis excedit prae omnibus, et ideo eidem praecedentia datur supra omnes, ut diximus ad dubium IV. Quo posito, absurdum esset submittere Vicarium Generalem illis oneribus seu muneribus a quibus dignitates propter praestantiam liberi sunt. Et ideo hac quoque in re notissimum axioma iuridicum tenere debet: absurdum in omnibus dispositionibus est evitandum.

R. Bidagor S. I.

METHODUS IN SOLUTIONE CASUS PRACTICI

« Casus practicus » in sensu quo nunc utimur hoc nomine iure vocari potest genus litterarium. Hoc genus in usu est, et maximo cum fructu, in illa area veritatis proponendae, quae est theologia moralis practica et ius canonicum.

Casus practicus est genus litterarium bene distinctum ab aliis generibus, quae in usu sunt in doctrina theologica aut canonica proponenda, uti sunt liber manualis; tractatus monographicus, articulus doctrinalis. Illud genus litterarium coli potest in pluribus formis ipsi generi accidentalibus, quae proinde indolem ipsius generis non mutant; non ei aliquid derogat, e. g. casus practicus tractari potest *oraliter,* sicut fieri solet in sic dictis collationibus seu conferentiis (de quibus agit can. 131); vel etiam in scriptis publici iuris factis, sive in aliquo libro (collectio casuum practicorum), sive in periodicis, ut hodie saepe fit et cum maxima lectorum utilitate simul et complacentia. Genus enim illud est iucundum et multis acceptum, coniungens claritatem docendi cum facilitate discendi.

Ut autem casus practicus revera sit his bonis qualitatibus ornatus et plene attingat suum finem utilem, necessarium est ut vir doctus qui eum pertractat seu solvit servet normas ipsi generi proprias. Ad hoc iterum requiritur ut has normas

cognoscat et ad eas attendat. Secus oritur periculum ne tractatus vel articulus habeat aliquam maiorem vel minorem similitudinem externam cum *casu practico* et nomen ei inscribatur, sed revera sit aliud genus, e. g. paragraphus alicuius libri manualis vel articulus simpliciter doctrinalis, compositus occasione alicuius facti seu casus, realis vel ficti. Quodlibet genus litterarium, etiam si adhibeatur in exponenda veritate theologica-practica propriis regitur normis.

Experientia constare mihi videtur istas normas non semper cognoscere vel saltem non servare theologos et canonistas, qui tractant casus practicos. De hoc dolendum est. Nam hac negligentia lectores saltem aliqualiter decipiuntur et ipse « casus » non attingit finem suum. Quae ipse, amator « casuum », hic et inde legi, mihi ansam dederunt de hac re disserendi breviter. Non ut arguam alios (fieri potest ut et ipse commiserim defectum de quo hic est sermo), sed ut aliquid conferam ad hoc ut casus practicus perfecte retineat propriam indolem et, si forsitan aliqualiter eam amiserit, unitis viribus eorum ad quos spectat ad genuinam suam perfectionem reducatur. Si omnes, praeprimis nos, theologi et canonistae, attendere debemus ad legem: quodlibet ens debet bene esse id quod est. Casus practicus ut sit utilis, ut placeat, ut exerceat in theologia morali et doctrina iuridica suam beneficam functionem, debet esse non *aliquid* bonum sed bonus *casus practicus*.

Si in iis quae sequuntur adduco aliquod exemplum concretum casus, in quo meo iudicio normae

casui practico propriae non sunt servatae, ratio non est quia volo proprie hunc casum eiusque auctorem arguere (dare possem etiam alia exempla). Sed ratio est quia etiam ea quae dicuntur de methodo tractandi casum practicum utilius, iucundius et clarius proponuntur, si hoc fiat ope alicuius « *casus practici* » casus practici non bene tractati.

Quin intendamus negare etiam pro casibus practicis valere adagium: « multis modis bene fit », hae tamen normae principales servandae sunt, ni fallor, semper:

1. In casus positione omnia elementa sunt indicanda quae necessaria sunt ad solvendum casum sententia *decisiva* et simul *absoluta,* i. e. non conditionata.

Hanc normam semper servare potest et proinde debet theologus aut canonista, qui ipse proponit casum practicum non realem sed fictum, seu ab ipso confectum, eo fine ut discipulos vel alios doceat, sive solus praebeat solutionem ut fieri solet si casus proponatur et solvatur in aliquo periodico, sive prius casum solvendum proponat aliis (discipulis in schola; membris conferentiae) et deinde, auditis et crisi subiectis solutionibus cum rationibus quibus nituntur, suam decisivam praebet solutionem.

Eadem autem norma in quantum fieri potest est servanda ab iis, qui casum practicum solvendum proponunt realem, qui scilicet in ministerio sacro ipsis contigit, aut quem aliis contigisse audierunt. Ipsi debent attendere ut servent hanc normam et diligenter omnia elementa referant quo-

rum cognitio ad casus solutionem conferre potest. Si aliquod eiusmodi elementum ignorent, pro posse illud investigatione accurata detegere conentur. Si dubitent, etiam leviter, utrum necessarium aut utile sit mentionem facere alicuius circumstantiae, eam addere ne cunctentur. Rarissime enim in hac re superfluum nocebit; defectus autem saepe causat incommoda et temporis iacturam et non raro omnino impedit quominus persona, cui casus proponitur, eum solvat.

Consequens est ut proponere casum practicum iam est opus ad quod peragendum plures requiruntur dotes, i. a. prudentia, diligentia, attentio, circumspectio et insuper maxime scientia. Illa requiritur scientia qua quis facile discernere potest quae elementa indicare, quae absque periculo omittere possit, quin impediatur vel absque utilitate difficilius reddatur opus solutionis. Propter hoc enixe commendanda est praxis habendi ubique, etiam in qualibet missione longinqua, saltem unum sacerdotem (missionarium) in re canonica competentem; et laudem merentur superiores, qui subditorum ad missiones destinatorum aliquos mittunt ad aliquam facultatem iuris canonici praecipue in Urbe, ut saltem licentiam in iure canonico acquirant et assistant interim studiorum curriculis specialibus apud plures SS. Congregationes Romanas et apud tribunal S. Romanae Rotae.

II. In casus practici solutione praemittenda sunt et si res ferat disceptanda et explicanda illa doctrinae moralis vel canonicae capita, quorum ad factum applicatio praebebit casus solutionem.

Indoli casus practici (huic generi litterario speciali) contrarium est inserere tractatum *completum* theologicum vel canonicum de materia quam casus practicus respicit. Hoc non est amplius agere « casum practicum », sed praebere simplicem tractatum doctrinalem, *occasione casus practici* propositi exaratum. Tunc haberetur aliud genus litterarium, cui false imponitur nomen seu titulum : « casus practicus ». Qui solvere debet casum practicum, debet restringere expositionem doctrinalem ad eas doctrinae partes, quae necessariae sunt vel utiles ad ipsum casum solvendum. Omnia quae huic fini non serviunt, sunt diligenter omittenda.

Sane, nemo prohibere potest quominus occasione alicuius casus practici auctor praebeat aliquem tractatum scientificum de re morali vel canonica. Plena datur in hac re cuilibet libertas. Sed qui hoc facit, non debet putare aut titulo seu inscriptione aliis suggerere se tractare casum practicum. Hoc esset seipsum et alios decipere. Afferamus exemplum. Proponitur casus : Marius et Fernanda habent duos proavos et duas proavas, eorum uxores, communes. Errore rem non recte exponunt parocho. A S. Sede impetrant dispensationem a consanguinitatis impedimento simplici in secundo gradu. Contrahunt. Estne validum matrimonium Marii et Fernandae?

Non docet sane errores seu res falsas, sed male agit negligendo normas valentes pro solutione casus practici, qui hunc casum tractare debens incipit exponere impedimenta matrimonialia distingui in impedimenta iuris divini et impedimenta

iuris canonici, quorum illa dispensatione Ecclesia tollere nequit, haec autem tollere potest; qui deinceps exponit quomodo computentur gradus consanguinitatis in iure canonico; deinde exponit canones 1049 § 1; 1052; 1054. Nam casus evidenter agit de impedimento consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis, quod esse impedimentum iuris humani et non divini omnes absque ullo dubio etiam levissimo admittunt. Canon autem 1049 agit de iis, qui gaudent *indulto* dispensandi, quod evidenter non respicit S. Sedem; in casu proposito sermo est de dispensatione *a S. Sede* data. Quilibet casus *remote* tangit multas materias, sed problema de quo proprie casus agit est fere semper restrictum. Sic in exemplo nostro problema agit de validitate dispensationis concessae in impedimento consanguinitatis duplicis: 1. in cuius petitione error commissus est circa gradum; 2. in cuius petitione errore reticita est impedimenti multiplicitas; 3. quod est impedimentum minoris gradus, pro quo viget aliqua norma specialis in casu subreptionis seu reticentia veri.

In illa parte igitur solutionis quae vocari solet: *in doctrina* (*in iure*) omitti debent quae dici possunt de impedimentorum divisione, de dispensatione impedimenti iuris divini; de computatione consanguinitatis. Statuto casum agere de impedimento consanguinitatis duplici in tertio gradu, statim exponendum est ius statutum canonibus 1052 et 1054 et casus solvendus est applicatione huius doctrinae expositae.

III. Casus *prout iacet* est *solvendus,* i. e. sententia decisiva et absoluta. Hoc videtur esse officium viri qui casum, sive ab ipso docendi causa confectum, sive ab alio propositum, tractare coepit.

Praeprimis auctori non licet casum semel propositum mutare (elementa subtrahere vel addere). Tunc enim proprie alium solvit casum, quam illum quem proposuit. Hoc certo non est finis sui laboris. Ad defectum hic designatum reducitur etiam solutio *conditionata*: si casus esset sic; si haec verificata esset circumstantia; si Titius sic fecisset actus esset licitus. Huiusmodi sententiae possunt esse verissimae, sed non sunt ad rem; non sunt *casus* solutio.

Maioris autem momenti adhuc est notare, casum solvi debere sententia *decisiva.* Solutio debet esse huius tenoris: actus concretus, de quo agitur in casu, vestitus circumstantiis concretis prout enarrantur, « est licitus » vel « non est licitus » vel « est validus » vel « est invalidus ». Et, saltem si agatur de casu ab ipso solvente confecto, de circumstantiis de quibus in casu non fit mentio, admitti debet eas non adesse [1].

Moralista vel canonista qui accipit tractare casum practicum, sub aliquo aspectu differt a iudice cui causa discernenda committitur; sub alio aspectu cum tali iudice convenit. Differt a iudice

---

1 Communiter idem fieri debet cum casibus ab aliis propositis. Attamen contingere potest ut ille, qui casum tractat, habeat rationes positivas et non leves suspicandi aliquam circumstantiam in casu esse omissam, quia proponens ad eam non attenderit (et non quia non adfuerit). Tunc cum ea rationem habere non est condemnandum, imo potest esse actus prudentiae.

in hoc quod non habet illam strictam obligationem iuridicam et proinde etiam moralem dirimendi rem. Ad hoc enim iudex tenetur obligatione absoluta. Ipse nequit suspendere iudicium et abstinere a sententia ferenda. (c. 1870). Differt etiam a iudice in hoc quod nequit dare decisionem quae habeat *vim iuris* seu quae *faciat ius* (inter partes). Cum iudice autem convenit sub aliquo aspectu qui proprie est magni momenti pro modo tractandi casum practicum. Omissa quaestione de natura et gravitate obligationis, de moralista et de canonista, cui casus practicus committitur vel qui sponte accipit casum solvendum, omnes merito exigunt ut casum vere solvat et hoc fit sententia, doctrinali sane, sed *decisiva*. Hoc est, ut ita dicam, « officium » censoris casus practici sive sit in tali munere constitutus sive voluntarie hoc munus exercere coepit in libro vel in periodico [2].

Qui non servat hanc normam, deficere videtur in exercendo opere quod aggressus est seu cui manus imposuit. Qui non est paratus ad faciendum hoc, debet abstinere a tractando *casu practico*. Ipse melius agit scribendo articulum mere doctrinalem, cuius conclusio convenienter esse potest: « nescio » aut « dubium mihi videtur utrum haec sententia sit vera an sententia contraria ». Nemo tenetur omnia certo scire et de qualibet re habere

---

[2] Sane, ipsi accidere potest quod iudici contingere nequit, scilicet quod ignoret elementum casus, quia proponens aliquod elementum, de quo dependet solutio casus, indicare omisit aut de eo dubium relinquit, e. g. in casu de matrimonii validitate omisit indicare utrum pars non catholica fuerit tempore celebrationis iam baptizata.

sententiam certam, si agatur de doctrina seu ut aiunt de re speculativa. Sed casus practicus seu concretus debet habere solutionem practicam. Fieri potest ut dubitem et ut omnes moralistae dubitent de hoc, utrum e matrimonio inter personam baptizatam et personam non baptizatam sequatur impedimentum affinitatis [3], sed si Titius baptizatus mihi exponat totum suum casum et deinde quaerat possumne tuta conscientiae et quin peccem hic et nunc contrahere, absque dispensatione ab impedimento affinitatis, cum sorore uxoris meae defunctae et non baptizatae, ipse petit utrum stante hoc dubio in his circumstantiis concretis licite agat si contrahat an illicite. Tunc debeo respondere « licet » aut « non licet ».

IV. Non tantum in exponenda doctrina quae factis applicari debent, sed etiam in ipsa solutione omitti debent omnia, quae non respiciunt ipsam solutionem huius casus. Nihil tamen impedit quominus *post casum solutum*, per modum corollarii vel appendicis vel notae adiunctae quaedam addantur, quae occasione casus propositi et soluti utiliter animadvertere nos iuvat.

Quae in numeris I-IV doctrinaliter exposui, exemplo elucidare nos iuvat. Quae enim in generali dicuntur clarius intelligi solent, si ea in rerum veritate applicata vidimus. Ad hoc elegi id quod vocari posset « casum practicum » alicuius solutionis casus practici. Casum inveni in notissi-

---

3 Vide articulum nostrum in *Ephemerides Iuris Canonici*, 1948, n. 3.

mo periodico quod per plus quam centenarium iam optime meritus est de doctrina morali et canonica, scilicet Theologisch-Praktische Quartalschrift. Annus 102, 1954, fasc. I. Ibi Alois Bogsrucker sequentem tractat casum practicum:

« Albertus, sacerdos, e loco valde distanti ad lectum viri morti proximi advocatus, post datam absolutionem a peccatis et S. Viaticum, procedit ad administrationem Extremae Unctionis. Fallunt tamen omnes conatus amovendi operculum vasis, quod continet S. Oleum. Post plures conatus Albertus, videns se non posse attingere S. Oleum, ne contristet aegrotum et parentes adstantes signo crucis solo pollice signat ex ordine membra aegroti, et interim orationes iaculatorias pronuntiat, a. v. nullatenus adhibet neque formam neque materiam sacramenti. Deinde cum nulla omnino detur possibilitas redeundi ante aegroti mortem, eum relinquit nihil dicens. Albertus sic egit nisus doctrina de dissimulatione sacramenti ». Solutionem huius casus aggrediens auctor, normas natura casus practici commendatas servans, prius proponit doctrinae partem, quae ad factum est applicanda. Et in doctrina proponenda non laedit normas supra datas. Laudabili brevitate exponit ea tantum, quae vere necessaria sunt ad casus solutionem. Ad nos nunc non spectat agere de veritate doctrinae ab auctore propositae. Meo iudicio ipsa est graviter erronea et etiam contraria doctrinae communiter a moralistis admissae [4].

---

[4] Hoc proprie *demonstrare* mihi proposui in alio articulo huius periodici. Nunc enim non agimus de *doctrinae* propositae veritate,

Repeto, de hoc *nunc* agere non debemus et illud noto solummodo ne lectores putent me consentire auctori *quantum ad doctrinam ipsam* cum approbem solummodo *modum* exponendi utpote brevem et ad rem, prout in casu practico requiritur.

Pro iis quae sequuntur debemus ante oculos tenere auctorem in parte doctrinali amplexum esse conclusionem: actus Alberti in casu est *dissimulatio* sacramenti et non simulatio; proinde actus eius non est *intrisece* malus sed est actus qui, etsi per se illicitus, propter rationes proportionate graves licitus esse potest.

Hoc supposito auctor transit ad factum seu ad ipsam casus solutionem. Et tria affirmat:

1. Dubitari debet utrum in casu proposito adfuerint rationes sufficienter graves ut dissimulatio ab Alberto peracta sit licita.

---

sed de rectitudine *modi* proponendi. Liceat tamen iam hic notare auctorem casus mirabili facilitate absque ulla probatione admittere in casu haberi sacramenti dissimulationem et non simulationem. Etenim, saltem primo visu casus habet aspectum verae simulationis. In tali casu haberi dissimulationem non est admittendum, nisi *solide probetur* casum non esse simulationem. Auctor quidem notat: « sacramentum non est valide confectum », sed hoc est commune simulationi et dissimulationi. Deinde scribit: « dissimulatio in hoc consistit quod actio non sacramentalis, quae sacramento est similis, peragitur ». Sed etiam hoc est commune simulationi et dissimulationi sacramenti. Nam ad simulationem non requiritur ut actus externus sacramenti habeatur *totalis*. Simulatio etiam fieri potest actu qui est tantum *pars* actus sacramentalis externi. Sacerdos qui stola indutus post alia sacramenta iam data, in manibus tenens vas olei, pollice sicco signat signis crucis membra aegroti, sicut fieri solet in administratione sacramenti et numquam fit in aliis casibus, vere peragit actum sacramentalem.

Auctor nimis facile admisit dissimulationem et se dispensavit ab obligatione probandi hic non agi de vera simulatione.

2. Albertus potuerat vas Olei Sacri submergere in aquam calidam et deinde amovere vasis operculum, quo facto potuerat rite administrare Sacramentum.

3. Albertus videtur subiective excusari a peccato saltem gravi, quia improviso venit in hisce circumstantiis difficilibus et dolorosis, et ipse erat mente perturbatus et nervis agitatus.

Haec tria plene sunt vera. Sed, mihi videtur, nihilominus casus tali modo est male tractatus seu auctor neglexit normas quae natura rei requiruntur in casus practici solutione et quas supra exposuimus. Etenim:

Quae dicuntur sub 2 et 3 non conducunt ad solutionem casus. Sunt vera, sed non ad rem. Quapropter si auctor velit ea adiungere — et non nego utilitatem — ea adiungere debet post ipsum casum solutum, per modum corollarii. Quae leguntur sub 2 non praebent solutionem casus propositi, sed indicant viam qua *forsitan* casus fuisset omnino evitatus. Hoc autem non est casus solutio. Casus agit, saltem in opinione auctoris, de dissimulatione Sacramenti. Casus continet et proponit dubium: utrum dissimulatio in talibus circumstantiis sit licita? Casus supponit ipsam sacramenti administrationem fieri non posse seu supponit operculum revera amoveri non posse. Idem casus etiam aliis de causis haberi potest, e. g. quia sacerdos vocatus et cito profectus accepit bursam, in qua vas Olei Sancti adesse putavit, sed in domo aegroti aperiens bursam vidit se errasse. Neque excludendum est immersionem in aquam calidam non habere felicem exitum. A. v. casus ve-

rificari potest in multis circumstantiis *accidentalibus* diversis, sed *substantia* casus propositi est: *non datur possibilitas* rite administrandi sacramentum. Estne licitum in adiunctis, in casu descriptis, facere quod Albertus fecit? Ad hoc respondere: forsitan casus evitari potuisset agendo sic, est omnino *non ad rem.*

Etiam quae sub 3 dicuntur non proprie solvunt casum. Ille qui casum proponit et alii qui eum legunt cupiunt scire moralitatem actus concreti *obiectivam,* ita ut postea, in eisdem versantes adiunctis, possint formare conscientiam propriam vel aliorum: utrum possint tuta conscientia agere sicut Albertus egit. Culpa *subiectiva* Alberti pro magna parte dependet ab elementis omnino subiectivis et personalibus.

Repeto, quia quae sub 2 et 3 dicuntur non sunt omnino inutiliter dicta, adiungi possunt per modum corrolarii, *post* ipsum casum solutum. Secus attentio lectores ab ipsa solutione distrahitur. Ipsa solutio casus quaerere nequimus nisi in n. 1. Hic autem, ni fallor, auctor peccat contra normam in casu practico tractando principali: casus solvi debet sententia *decisiva.*

Etenim, casus propositi solutio dependet a duobus elementis: a natura actus, scilicet utrum sit simulatio an dissimulatio. Et uti vidimus, auctor elegit pro dissimulatione. Hoc supposito, solutio dependet a sufficientia rationis proportionatae. Quid autem dicit auctor? « dubitari potest utrum in casu adfuerint rationes sufficientes ». Quid hisce verbis auctor facit, nisi repetere id, quod est proprie ratio proponendi casum? Nonne alii

proprie casum proponunt aut legunt, quia ipsi dubitant utrum in talibus adiunctis adsit ratio sufficiens ad dissimulandum sacramentum? Qui aggreditur casum practicum non debet dubium repetere, sed dubium solvere et sic solvere casum. Proprie quia auctor statuit dubitari posse de existentia rationis sufficientis in casu, ipse debuisset rem maturius perpendere et omnibus mature perpensis dare sententiam: id quod Albertus fecit *est licitum* vel *est illicitum*. Sane, nemo negabit fieri posse ut theologus postquam omnia mature perpendit remaneat anceps et nequeat dubium solvere. Nemo dico negabit fieri posse ut theologus nequeat cum certitudine morali statuere: dantur rationes sufficientes aut non dantur rationes sufficientes. Etiam dubium potest esse prudens et tunc habetur dubium prudens insolubile, saltem pro hoc theologo et forsitan pro omnibus. Quapropter non arguo quia remansit in dubio de existentia rationis sufficientis. Defectus est alius. Ipse non vidit designatione huius dubii laborem theologi casum practicum solventis non esse absolutum, quia casus non est solutus. Ipse debuisset non sistere in pronuntiando hoc dubio, sed ultro procedere. Quomodo? Ni fallor, respondendo ad quaestionem utrum, statuto quod speculative habetur dubium positivum de sufficientia rationis, in praxi actus Alberti (dissimulatio sacramenti) sit licita vel illicita. Auctorem hoc omisisse eo magis videtur res miranda, quia absque formidine errandi admittere possumus, ut nobis videtur, eum esse probabilistam. Mihi videtur quod probabilismi assecla debuisset procedere ut sequitur. Dubitari potest ut-

rum in casu adfuerit ratio sufficienter gravis ut iustificaretur haec dissimulatio sacramenti. Atqui: probabilismus, quem agnosco systema bonum et verum et tuto applicabilem in praxi, docet licitum esse in dubio doctrinali de liceitate actionis ponendae practice eligere partem minus tutam seu non dari obligationem sequendi viam quae tutior videtur. Ergo Albertus bene egit et licite [5].

Mihi videtur casum sic esse tractandum, a. v. si solutio casus mihi fuisset oblata et accepissem hoc officium, in parte doctrinali statuissem hic agi de simulatione sacramenti seu de actu intrinsece malo et non de dissimulatione. Et hoc vi proprii iudicii, confirmati communi sententia moralistarum [6]. Et tunc casus esset iam solutus. Nam simulatio sacramenti nunquam licita esse potest.

Sed si cum auctore casus admitterem hic haberi casum alicuius actus non intrinsece mali sed liciti dummodo habeatur ratio gravis et proportionata, sic prosecutus essem opus solutionis:

In casu mihi videtur certum non adesse hanc rationem gravem requisitam ad liceitatem. Quapropter actus Alberti est illicitus.

Corollarium 1. Forsitan Albertus potuisset et tunc certo debuisset evitare casum perplexum, immergendo vas in aquam calidam. Hoc enim est medium quo non raro obtinetur ut operculum nimis fixum amoveri possit. Aut forsitan potuisset

---

[5] Nonne probabilista qui hoc non facit aliqualiter suggerit non omnino persuasum sibi esse de valore morali practico sui systematis?

[6] De hoc fusius disserere et afferre rationes quibus haec doctrina probatur, remitto ad alium articulum.

invocare auxilium viri fortioris. Sed hoc non mutat casum nec probat casum semper evitari posse. Et tunc solvendus est sicut eum solvi.

Corollarium 2. Utrum Albertus subiective peccaverit cum certitudine discerni vix potest. Circumstantiae sane iustificant dubium de gravi saltem culpa. Nam ipse erat valde turbatus et nervis agitatus. Praecipue si Albertus sit vir qui solet communiter procedere cum prudentia et diligenter vitare periculum peccandi, valde probabile est ipsum subiective non esse reum gravis peccati.

Dr. L. Bender, O. P.

DE CONSENSU MATRIMONIALI OB EBRIETATEM NULLO

Pariter ac in iure veteri, in Codice Iuris Canonici quoque frustra quaeris legem quae expresse irritet consensum matrimonialem in statu ebrietatis positum et consequenter declaret hoc ipsum matrimonium esse nullum. Quum tamen causa efficiens matrimonii sit « partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valeat »[1] quique sec. definitionem legalem sit « actus voluntatis »[2], non obstante defectu legis positivae inhabilitatem statuentis, ex ipsa rei natura seu ex ordinationis iuris naturalis nullius valoris censendus est contractus matrimonialis, sicubi alteruter saltem contrahentium actualiter incapax sit actum voluntatis ponendi. Non ideo mirum, quod theologi aeque ac canonistae — iique sive theoriam colentes, sive in praxi forensi operam navantes — consentiant in declarando ad contrahendum valide matrimonium inhabiles etiam illos, quicumque in actu celebrationis matrimonii ebrietate impediantur, quominus usu rationis gaudeant.

1. Quaeri tamen possit, an idem obveniat in casu quoque ubi pars in actu quidem manifestan-

---

1 Can. 1081, § 1.

2 Can. 1081, § 2.

di consensum inebriata fuerit, sed prius intentionem habuerit determinatum illud matrimonium contrahendi. Ad consensum matrimonialem validum sufficere quidem intentionem antea habitam et virtute perdurantem (seu intentionem virtualem), non est cur dubitemus. At in subiecto qui usu rationis quamcumque ob causam privatus existit, neganda est possibilitas intentionis virtualis, quippe quae actum humanum supponat, virtute utut prioris intentionis patratum. Seu deficiente usu rationis, deficit virtus prioris voluntatis, et consequenter actus subiecti ratione privati est nullus, quamvis antea — dum usum rationis habuerit — volitus. Similiter etiam consensus qui utpote actus ministri sacramenti matrimonii provenire debet ex intentione actuali vel saltem virtuali, nullatenus autem sufficiente habituali quae actum humanum non facit. Quamvis ergo quis sobrius intenderit matrimonium cum determinata persona inire, si momento consensum manifestandi perfecte ebrius existat, nullum contrahit matrimonium. Ait ad rem Sanchez: « Non immerito tamen dubitabis, quid dicendum sit, si ebrius et demens tempore sanae mentis voluntatem habuerunt contrahendi sponsalia aut matrimonium, eamque tempore ebrietatis aut dementiae exequantur. Posset enim aliquis existimare valida esse; quia baptismus eo tempore collatus validus esset propter voluntatem praecedentem. Et fortius urget, quia non deficit deliberatio requisita ad peccandum mortale: homicidium enim tunc commissum, si tempore quo sui compotes erant, praevisum esset, culpa lethalis esset. Dicendum tamen est non sufficere

eam voluntatem, nec est simile de baptismo, nam in matrimonio et sponsalibus ipsi contrahentes sunt ministri et actus ministri necessario debet esse humanus: sicut si aliquis sui compos audivit confessionem et factus insanus absolveret, nulla esset absolutio: et similiter si tunc baptizaret, quamvis ante id in animo haberet, irritus esset baptismus. Non obstat enim mala praevisa imputari tunc ad culpam, tum quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulari defectu, teste D. Dionysio ... [3] ». Cui similiter legitur in una decisione rotali: « Nupturiens praestando consensum qui matrimonium facit, est minister Sacramenti matrimonii; actus autem ministri necessario debet esse humanus, seu actus rationis et voluntatis. Quapropter ebrietas quae usum rationis ex toto adimit, impedit quominus ebrius valide contrahat matrimonium; in celebratione enim inanes soni ab eo emitterentur ad instar vocis brutorum, nec quicquam deliberatum exprimerent, *quaecumque fuisset intentio antea habita* » [4]. In processibus ergo, quibus declaratio nullitatis matrimonii ab ebrio contracti praetentatur, recte praetermittenda est quaestio de intentione ebrietatem antecedenti.

2. Difficilioris solutionis est autem quaestio practica, quaenam ebrietas nullitatem matrimonii secum ferat. Obvium est enim varios ebrietatem admittere gradus neque potorem ex inopinato usu

---

[3] De s. matrimonii sacramento disputationes, ed. 1737, lib. I., disp. VIII., nr. 20.

[4] Vol. XXIX, pag. 734., dec. 74., n. 2.

rationis voluntatisque privari. Non quaevis mentis turbatio ex abusu potus alcoolici proveniens consensum reddit nullum, sed ebrietas tantum quam perfectam dicere solitum est quaeque a D. Thoma definitur « defectus hominis qui accidit ex multo vino potato ex quo fit, ut non sit compos rationis »[5]. Ita legitur in sententia quadam S. R. Rotae « unam ebrietatem perfectam rationis usum intercipere et infanti ebrium assimilari qui non sui compos a iure censetur: siquidem perfecta ebrietas suavis amentia est »[6]. Sed quandonam perfectam dicas ebrietatem quae hominem reddat « impotentem ad utendum ratione »[7] — ut ait idem D. Thomas — et quibusnam argumentis in iudicio, pluribus forte post manifestatum consensum elapsis annis, probare possis illam perfectam fuisse? En quaestio cui respondendum est.

3. Spiritus alcoolicus (vulgo: alcool) qui pluribus inest potibus, brevissimo tempore post haustum in sanguinem transit, eoque per universum corpus dispertitur ac singula organa penetrat[8]. Imprimis systema nerveum afficit et varias eiusdem functiones ad tempus debilitat. Quum vero facultates rationales seu mentales cerebro seu rectius cortice cerebri tamquam proprio utantur organo,

---

[5] Sum. Theol. II-II, qu. 150, art. 1.

[6] Vol. XXII, pag. 260., dec. 22., nr. 4.

[7] Sum. Theol. I-II, qu. 88., art. 5.

[8] Consulto omittimus quaestiones de vinolentia inveterata quam medici alcoolismum chronicum dicere malunt, item de crapula venenis soporiferis (narcoticis) habitualiter vel actualiter provocata, quae omnia ad veram potius insaniam pertinent.

illae prius deminutionem patiuntur in ebrietate. Spiritus enim alcoolicus illas praeprimis cellulas in cortice cerebri sitas debilitat quae functiones mentales altioris ordinis (associationem idearum, iudicium mentis, volitionem) perficiunt quaeque magis quam alia centra nervea sensibilia sunt [9].

4. Prout autem ebrius usu rationis gradatim privatur, psychiatria moderna *tres distinguit status ebrietatis* [10].

a) Status *excitationis* in ebrio simillimus est ei quem insania maniaca laborantes produnt. Ebrius nimia affectus est laetitia, sensus critices eius sensim deficit, augetur e contra sui ipsius aestimatio. Sententiae quasi se invicem trudunt, at cogitationis modus fit socors et normarum logices expers. Advertentia facillime declinat, intelligendi facultas minuitur. Ebrius incitabilem se praebet et pronum ad loquendum agendumque inconside-

---

9 Cfr. Vermeersch S. J., Theol. Moralis, vol. I. (1922), nr. 477.: « Ipsa physiologia nos docet hominem ebrium subtrahi associationibus superioribus et sub imperio inferiorum poni ».

10 Bumke, Lehrbuch der Geisteskrankheiten, ed. IV (1936); Fühner, Medizinische Toxikologie (1943); Glaister, Medical jurisprudence and toxicology (1945); Hoffmann — Haberda — Wagner-Jauregg, Jahrbuch der gerichtl. Medizin, ed. X (1923); Pazár, De examine ebrietatis et abriositatis ac eius momentum pro praxi forensi (1942. hungarice); Szabó — Nyírő, Psychiatria (1935. hungarice); Cramer, Ueber die forens. Bedeutung des normalen und pathologischen Rausches Monatsschr. f. Psych. und Neorol. vol. XIII. pag. 36-61, anno 1903); E. Meyer, Rausch und Zurechnungsfähigkeit (Arch. f. Psych. u. Nervenkr. vol.. XLII, pag. 163-179., an. 1907); B. Mueller, Zur Terminologie und forens. Beurteilung alkoholischer Rauschzustände (D. Zeitschr. f. die ges. ger. Med. vol. XIV., pag. 296-324., an. 1930).

rate. Mox invalescente irritabilitate clamitat, iurgia movet, blasphemat, immo violentias etiam committit, praesertim si sanae mentis quoque sit violentus.

b) Progrediente ebrietate — seu quando quantitas spiritus alcoolici consumpti consequentibus haustibus augetur — pervenitur ad statum *depressionis,* in quo euphoria seu hilaritas dysphoriae seu tristitiae cedit atque manifestius apparet functiones mentis debilitatas esse. Affectus ebrii fit tristis, animus demissus, aliquando lacrimabundus. Advertentia gravius adhuc detrimentum patitur, perceptio rerum externarum lacunosa, cogitatio omnino confusa, sui conscientia turbata, sensus moralis valde deminutus est. Quum memoria ea tantum retineantur quae animadversa seu mente percepta sunt, proprium est status huius ebrietatis signum amnesia, seu defectus memoriae relate ad illa quae in isto statu facta sunt. In statu depressionis spiritu alcoolico provocatae omnem facultatem consilii seu deliberationem ademptam esse medici consentiunt.

c) Demum ebrius sommo obruitur inexcitabilis. Hic est status *soporis,* in quo nedum functiones mentis omnino cessant, sed inebriatus animo etiam relictus iacet, neque quassatus excitari valet, dum post aliquot horas demum expergiscatur.

5. Obvium est, quod status excitationis perfectam minime constituit ebrietatem, quum in illo usus rationis quamvis turbatae attamen virtute intentionis saltem antecedentis intelligere valentis, quidnam agatur, maneat. Aeque certum est, ut ad per-

fectam ebrietatem matrimonium irritantem non requiratur status soporis, quippe in quo manifestatio consensus per verba aut per signa fieri nequeat, quum ebrius inanimo similis actuum etiam hominis incapax sit. Restat ergo, ut in ordine ad consensum matrimonialem ebrietatem illam perfectam dicamus, quae ad statum usque depressionis progressa sit. In hoc enim statu facultas deliberationis tollitur, manentibus solis actibus inconsciis seu primoprimis (reflexivis). « A matrimonio contrahendo arcentur qui versantur in habituali plenaque amentia et fatuitate, vel in actuali eo statu ebrietatis qui verum consensum in ipsa matrimonii celebratione non permittit, quatenus actualiter impedit illam discussionem iudicii, quae requiritur ad hunc contractum intelligendum et ad eiusdem iura et obligationes considerandas » [11]. Ita praxis rotalis statuit. Quae discussio iudicii autem certe certissime deest in eo statu ebrietatis qui nedum advertentiam ac perceptionem sensualem perturbat, sed ipsam cogitationem et sui conscientiam quoque obfuscat, quae ad iudicium mentis efformandum seu ad deliberandum requiruntur. Deficiente vero deliberatione intellectus contractui matrimoniali proportionata, necessario excluditur exercitium liberi arbitrii seu ipsum actum humanum exclusum esse patet [12].

6. Ast non licet praetermittere, quod hi status ebrietatis non adeo clare ab invicem distin-

---

[11] S. R. R. Dec., vol. XXVII., pag. 254., dec. 29., nr. 2.

[12] Sanam de actu humano doctrinam perpulchre complectitur decisio quaedam rotalis coram Wynen, in vol. XXXV., pag. 270.

guuntur. Neque cessatio deliberativae potestatis est phaenomenon sub sensibus cadens, licet turbatio advertentiae et intelligentiae, item turbatio cogitationis et sui conscientiae aliquando se prodant. Hinc altera exurgit quaestio: Quibusnam argumentis seu probationibus in iudicio ostendi possit aliquem in eo statu ebrietatis matrimonium contraxisse vel rectius attentavisse qui verum consensum excludat? Negotium arduum nimis, ad quod subeundum riteque solvendum iudex ecclesiasticus haud omittet exquirere peritiam medici seu psychiatrae. Quum tamen sententia peritorum cum caeteris causae adiunctis conferenda sit ac diligenter perpendenda, utrum normis artis medicinae respondeat, scitu opus est, quaenam signa ebrietatis quaeque potionis ac nuptiarum circumstantiae constare sinant de absentia usus rationis in contrahente.

a) Inter *signa ebrietatis psychica* praecipuum est amnesia, quae si ad tempus contrahendi se referat, merito concludas facultatem cogitativam et deliberativam momento consensum praestandi hebetatas fuisse. Amnesia enim prodit nedum cellulas illas corticales debilitatas fuisse quibus facultas recordationis insita sit, sed perceptionem, advertentiam, cogitationem, sui conscientiam quoque defuisse tempore cuius memoria desideratur. Cessante ebrietate perfecta, acta praecise tempore absentiae rationis oblivione conteguntur, actorum antecedentium subsequentiumque memoria nullum ex ebrietate capit detrimentum; quam amnesiae speciem medici contemporaneam (synchronisticam) nuncupant. Notandum tamen est amne-

siam non esse unicum perfectae ebrietatis signum, quia crapula etiam usum tollens rationis aliquam admittit rerum gestarum memoriam. Quodsi nupturiens huius vel alterius rei recordetur quae in actu celebrationis matrimonii acciderint, non ideo praesumendus est leviter tantum ebrius fuisse, dum e contra totalis amnesia vere signum certissimum habetur perfectae ebrietatis. At in iudicio vix credendum erit parti adserenti se in nuptiis ebrium fuisse neque se ibidem actorum recordari [13]. Si tamen tempore haud suspecto personis fide dignis ipsa manifestaverit se vixdum vel nequaquam meminisse celebrationis matrimonii, ex testimonio illarum merito conicere licebit ebrietatem perfectam fuisse, dummodo circumstantiis idem suadeatur.

Alia signa perfectae ebrietatis sunt: tristitia, defectus motuum ac sermonis, item si ebrius ineptias vel omnino stulta dicat, nisi ioci causa fiat. Defectus discretionis inter bonum malumque morale, quod ab antiquioribus signum certissimum perfectae ebrietatis habebatur, hinc quidem in iudicio difficilis est probatu, inde autem non est obliviscendum, quod ebrii in statu etiam excitationis peragere solent talia quae sobrii animadverterent dedecere, quin usu rationis privati essent. Attamen si aliqui actus vel dicta — item a personis quarum probitas in tuto posita sit relata — sensum ethicum in contrahente omnino periisse ostendant, puta quando vir religiosus et castus stuprum ve-

---

13 Depositio iudicialis coniugum non est apta ad probationem contra valorem matrimonii constituendam » (Instr. Provida a. 1936. editae art. 117).

lit committere vel obscoena ac perturpia loquatur, merito admitti poterit usum rationis abfuisse.

Quaeri tamen potest, quonam modo perfecte ebrius consensum matrimonialem verbis aut saltem signis aequipollentibus exprimere valeat, quamvis advertentiam suique conscientiam amiserit. Reapse vix admittendum est perfecte ebrium matrimonium contraxisse, quin parocho vel circumstantibus visus sit inebriatus, licet ipsi de gradu seu statu ebrietatis nullum efformavissent iudicium. Attamen crapula perfecta quandoque ordinationem externi habitus non adimit et plerumque manent actus (item verba) inconscii seu primo-primi, quibus verba sat pauca nupturientibus exprimenda facile adnumerabuntur.

b) Quamvis defectus rationis ebrietate provocatus signis psychicis maxime comprobari valeat quae nempe prae aliis certius prodant facultates mentales in contrahente vino debilitatas esse, quaeque iuxta medicos in statu perfectae ebrietatis fere nunquam abesse soleant, — ad hebetudinem mentis in ebrio etiam ex *signis somaticis* aliquatenus concludere fas est. Quum enim cortex cerebri sedes sit non modo operationum mentalium sed ab illa processus quoque physici regantur, simul cum mentis turbatione, ob eandem intoxicationem corticis cerebri, etiam motus seu functiones corporis diversimode afficiuntur.

Dum in statu excitationis facies ob hyperaemiam cutis rubore suffunditur, oculique madent et ob venectasiam coniunctivarum sanguinolenti videntur, ac motus crebriores fiunt et inconsiderati, risusque frequens, respiratio cordisque pulsatio ac-

celerantur, atque ebrius sudat et saepe mingit, — in statu depressionis seu perfectae ebrietatis graviores solent corporis turbationes apparere quas psychiatria nomine « ataxiae » (inordinationis motuum) comprehendere mavult. Perfecte ebrium ex eo quoque cognoscere poteris, quod gressus eius manifesto titubat, pedibus vix consistere valet, stans etiam vacillat, obiecta minutiora difficulter digitis prendere potest, loquela eius est balba (dysarthria), vertigine ac nausea cruciatur, mox etiam vomitum reddere cogitur ac potentia coeundi privatur. In statu tandem soporis vultus ebrii fit pallidus, membra inertia, cordis palpitatio supra modum celer, respiratio agitata, motus etiam inscii (seu primo-primi) penitus cessant, ebrius sensibus omnino destitutus est.

Signa somatica ebrietatis manifestiora sunt quidem psychicis ac ideo in processibus nullitatis matrimonii leviores probatu, quum ab illis etiam videri possint qui partibus ignoti nuptiis sobrii adstiterint, dum ad signa psychica iudex magis ex testimonio compotorum (si alteram partem exceperis) concludere possit, qui tamen simul cum nupturiente plerumque inebriati fuerint, potiora sunt tamen ista, quia signa somatica haec vel illa, aut aliquando etiam omnia abesse possunt, praesertim in personis ex nervis laborantibus ac degeneribus, quin usus rationis servatus sit. Quae causa esse potest, curnam parochus adstantesque in actu celebrationis nuptiarum nihil adverterint. Ast quando ataxia manifesta, vel sermo balbus in nupturiente apparuit, vix usum rationis adfuisse dicas. Item si aliquot horis post nuptias elapsis vir

incapax sit copulae perficiendae ob defectum excitationis venereae, dummodo post manifestatum consensum nulli amplius potui indulserit ac de cetero potentem se praebuerit nullaque alia causa adesse potuerit quae potentiam virilem inhibuerit. Plenior fit probatio transientis amentiae consensum matrimonialem irritantis, quando signa psychica una cum somaticis simul concurrunt perfectam ebrietatem manifestantia.

7. Quoties in causis nullitatis matrimonii agitur de validitate resp. invaliditate consensus, opus est praesumptionibus, ad quas constabiliendas « instructoris est curare, ut circumstantiae proferantur in lucem quae matrimonium praecesserunt, comitatae vel sequutae sunt » [14]. Ad caput nullitatis ex ebrietate desumptum quod adtinet, circumstantiae comitantes sunt signa somatica vel psychica quae contrahentem vino obrutum esse manifestaverunt; circumstantia quae sequitur est plerumque amnesia; circumstantiae vero antecedentes nihil aliud sunt, quam *circumstantiae ipsius potionis*. Quae simul cum signis ebrietatis considerandae sunt, antequam defectus rationis ob crapulam in iudicio admittatur vel reiciatur.

a) *Quanto* vini quisque usum rationis perfecte perdat, varium est. Eadem persona in diversis circumstantiis ob eamdem quantitatem potus diversam patitur mentis turbationem; item diversi homines in iisdem ipsis circumstantiis et ob eamdem quantitam liquoris alcoolici diversimode usu

---

[14] Instr. Provida a. 1936 ed., art. 174.

rationis privari possunt. Sunt enim, quorum organismus spiritum alcoolicum velocius transformare valeat in carbonem dioxydatum (CO_2) et aquam communem (H_2O). Hi ergo manifesto minus capiunt detrimentum in mente et citius ad sobrietatem redeunt. Sunt tamen alii, qui modicissimo hausto, uti binis vini poculis, perfecte inebrientur et usu rationis priventur. Hic est casus intolerantiae erga vinum, qui non adeo rarus, at in iudicio ad amussim comprobandus est, ut admittatur aliquem mente privatum matrimonio consensisse, quamvis bina tantum pocula hauserit. Intolerantia erga potus alcoolicos alia est permanens, alia transiens. Amentes, fatui, epileptici, hysterici, ex nervis laborantes (psychopathici), vinosi inveterati, lue syphilitica infecti hisque prognati, item capite graviter laesi constanter intolerantes sunt vini. At in sanis quoque non tam raro accidit, ut ob nimiam defatigationem animae vel corporis, ob famem, ob nimiam excitationem vel ob immodicos dolores potioni immediate antecedentes et etiam ob praecedentem excessum in venereis, immo ob solam cohabitationem intolerantiam transienter patiantur, praesertim si caeterum abstemii fuerint. Quodsi in aliquo casu nupturiens in actu celebrationis matrimonii perfecte ebrius fuione feratur, licet modico tantum potui indulserit, praeter indaganda symptomata sive psychica sive somatica ebrietatis quaerendum erit, an ob aliquam ex causis supra enumeratis quae intolerantiam erga vinum provocare soleant, pronus ipse fuerit ad crapulam ex modico etiam potu capiendam. Qui casus forsan inter rudiores contingere potest ac in

quibusdam regionibus, ubi mos est ante nuptias pocula haurire [15].

Quantum vini nupturiens combiberit, difficile est probatu. Ipse enim minime recordatur, quantum hauserit, compotores autem simul plus vel minus inebriati vix testimonium reddere valent, quantum contrahens ante consensus manifestationem biberit. In ordine ad statuendam quantitatem potus alcoolici consumpti nihil refert, quod aliqui testes in iudicio deponant partem ebriam vinum oluisse. Id enim etiam modico liquore alcoolico potato plerumque in halitu contingit.

b) Gravioris momenti est quaestio, quemnam liquorem quis biberit, seu quaenam *qualitas potus* fuerit. Spiritus alcoolicus enim qui liquoribus uti aiunt « contractis » inest, seu iis qui relative plus continent ex ipso, celerius organis corporis sorbetur atque consequenter citius corticem cerebri afficit, quam ille qui potibus inest minus « contractis » seu iis qui relative minus ex eodem continent. Aqua vitae (vulgo: cognac) vel liquore ex saccharo combusto cocto (vulgo: rumme) ex. gr. citius quis obruitur, quam tanta sicerae aut vini

---

[15] In ordine ad consensum matrimonialem praeteriri possunt casus graviores intolerantiae quae ebrietatem s. d. pathologicam causat. Haec triplex a medicis distinguitur. Ebrietas pathologica quam quidem epileptici patiuntur ebrium furibundum reddit, in matrimonio ergo celebrando nec mentio de ipsa incidit. Idem dicendum de ebrietate quam potatores inveterati aliquando patiuntur; visionibus enim atque deliriis territi manifesto produnt statum suum. At neque tertiam eiusmodi crapulae speciem in actu contrahendi adfuisse facile concedas. Aliquando enim epileptici vel hysterici furoris quidem expertes sunt in ebrietate, sed sensibus externis adeo sunt hebetati ut interrogationibus respondere nequeant, liceat alios actus sanis similes ponant.

quantitate quae eandem quantitatem spiritus alcoolici continet; hi enim potus minus contracti » sunt, quam illi. In quibusdam liquoribus praeter spiritum alcoolicum alia quoque venena inveniuntur ex quibus illi odorem suum specificum repetunt. Hae plerumque aliquantum augent vim spiritus alcoolici mentem debilitandi. Potus quibus acidum carbonicum inest, facilius ebrietatem provocant, quum acido carbonico ipso aliquantulum cellulae nerveae hebetentur. Magis ergo quam de quantitate, de qualitate potus inquirendum erit in iudicio, ut signa ebrietatis aliunde probata rite adpretiari valeant.

c) Respiciendum est praeterea, *quanto temporis spatio* quis potum illum alcoolicum sumpserit, quamtumque temporis inter potationem et nuptias cesserit. Quo celerius enim vinum sumitur, eo minus ex ipso sufficit ad provocandam ebrietatem. E contra si notabile tempus potionem inter et celebrationem terebatur, haud imprudenter dubitabitur, an ebrietas adhuc perduravisset, quamvis diversissimum sit tempus quo quisque sobrius fiat. Item si ebrius ante celebrationem per horam et mediam dormivit, nisi etiam postquam evigilavisset eadem ebrietatis signa praebere perrexisset.

d) Inter circumstantias potionis haud minoris est momenti quaestio, an potus alcoolicus *a ieiuno vel a pranso* sumptus sit. Docent enim medici quarta vel etiam tertia parte maiorem quantitatem liquoris alcoolici requiri ad eundem gradum ebrietatis post comestionem provocandum, quam si quis ieiunus bitat. In praxi ergo facilius probatur ebrietas perfecta, si nupturiens ieiunus se ine-

briavit. Quodsi ante bibendum prandium sumpserit, diligentius rimabuntur caetera indicia ac ebrietatis signa.

e) Denique alicuius momenti est, *ubinam* quis se inebriaverit. Aere enim popinae fumo tabaci et respiratione corrupto instantia ebrietatis acceleratur. Usus etiam tabaci vim spiritus alcoolici auget, coffaea vero minuit ipsam, at notetur neutrius influxum in ebrietatem perfectam evolvendam magni aestimandam esse.

8. Videre est, quod nullitatem matrimonii ex capite ebrietatis in contrahendo definire sat grave est sive iudici negotium, sive medico a iudice peritiam rogato sat ardua est quaestio de gradu ebrietatis coniciendo. Attamen si omnia suadeant contrahentem vere perfecte ebrium consensum manifestasse, qui casus teste experientia minime impossibilibus est adnumerandus, constare poterit de nullitate matrimonii. Rectius vero parochus assistentiam denegabit matrimonio sponsorum quorum alteruter verosimiliter ebrius se praebeat, quum in materia sacramentorum certius sit eligendum, aliter enim matrimonium periculo nullitatis exponitur.

A. Szentirmai

MONUMENTA

14 - SS. D. N. PIUS Pp. XII

(*AAS.* xxxxvii [25 iun. 1955] p. 394)

ALLOCUTIO

Ad Exc.mos Pont. Academiae Scientiarum Socios, adstantibus E.mis PP. Cardinalibus ac Exc.mis Viris exterarum Nationum Legatis *.

Au moment où Nous vous adressons la bienvenue dans cette maison, dont les portes ont toujours été largement ouvertes à ceux qui cultivent les arts et les sciences, Nous voulons vous exprimer Notre vive satisfaction à vous tous, Excellentissimes Messieurs, membres de Notre Académie.

Votre vie, consacrée à l'étude des phénomènes naturels, vous permet d'observer chaque jour de plus près et d'interpréter les merveilles, que le Très Haut a inscrites dans la réalité des choses. Oui, vraiment, le monde créé est une manifestation de la sagesse et de la bonté de Dieu, parce que toutes choses ont reçu de Lui l'existence et reflètent sa grandeur. Chacune d'elles est comme

* Datus die 24 Aprilis mensis a. 1955.

une de ses paroles et porte la marque de ce que Nous pourrions appeler l'alphabet fondamental, ces lois naturelles et universelles, dérivées de lois et d'harmonies encore plus hautes, dont le travail de la pensée s'efforce de découvrir toute l'ampleur et le caractère d'absolu.

Les créatures sont des paroles de vérité, qui en soi, dans leur être, ne renferment ni contradictions ni confusions, toujours cohérentes entre elles, souvent difficiles à comprendre à cause de leur profondeur, mais conformes toujours, quand elles sont clairement connues, aux exigences supérieures de la raison. La nature s'ouvre devant vous comme un livre mystérieux, mais étonnant, qui demande à être feuilleté page à page et lu avec ordre, dans le souci de progresser sans cesse; de la sorte tout pas en avant continue les précédents, les redresse, et monte sans arrêt vers la lumière d'une plus profonde compréhension.

La mission qui vous a été confiée compte ainsi parmi les plus nobles, car vous devez être, en un certain sens, les découvreurs des intentions de Dieu. Il vous appartient d'interpréter le livre de la nature, d'en exposer le contenu et d'en tirer les conséquences pour le bien commun.

Tout d'abord, vous êtes les interprètes du livre de la nature. Il est donc nécessaire que vous fixiez le regard sur chacune de ses lignes et restiez bien attentifs à n'en passer aucun détail. Ecartez toute prévention personnelle et pliez-vuos avec docilité à tous les indices de vérité qui s'y font jour.

Nous savons l'importance exceptionnelle de l'époque que traverse la science à l'heure actuelle,

importance dont tous ne parviennent pas à se rendre compte. En effet, devant les problèmes scientifiques, on trouve trois attitudes différentes. Certains, et c'est le grand nombre, se contentent d'admirer les résultats extraordinaires obtenus dans le domaine technique et croient, semble-t-il, que ces résultats constituent le but exclusif ou du moins principal poursuivi par les sciences. D'autres, plus cultivés, sont capables d'apprécier la méthode et les efforts qu'impose la recherche scientifique. Ils peuvent ainsi en suivre et en comprendre les progrès géniaux, les angoisses et les joies, les succès et les arrêts : ils observent avec intérêt l'incessant perfectionnement des instruments mathématiques, des appareils ; assistent avec passion à l'élaboration des hypothèses, à l'établissement des conclusions, au labeur de l'intelligence pour harmoniser les données selon certains schèmes, modifier les considérations antérieures et formuler les théories nouvelles qu'on s'efforcera de vérifier. Ces multiples aspects sont bien compris de tous ceux qui, pour divers motifs, s'intéressent au travail des savants. Quant aux problèmes les plus essentiels du savoir scientifique, ou dont l'ampleur intéresse tout son domaine, les esprits, qui les perçoivent, demeurent, Nous semble-t-il, relativement peu nombreux, et Nous Nous réjouissons à la pensée que vous êtes parmi eux. La science n'en est-elle pas arrivée au point d'exiger que le regard pénètre aisément les réalités les plus profondes et s'élève jusqu'à une vue complète et harmonieuse des ensembles ?

1. — Il y a un peu plus d'un siècle et demi, en partant de bases rationnelles, on formulait les

premières hypothèses sur la structure discontinue de la matière et sur l'existence des plus petites particules, considérées comme les ultimes constituants des corps. Et depuis lors jusqu'à nos jours, on a compté, pesé, analysé les molécules; puis l'atome, qui passait d'abord pour indivisible, fut divisé en ses éléments, examiné, attaqué dans ses structures les plus profondes; on détermina la charge électrique élémentaire, la masse du proton; le neutron, les mésons, le positron et bien d'autres particules élémentaires furent identifiés et leurs caractéristiques précisées. On a trouvé le moyen de guider ces particules, de les accélérer et de les lancer comme il faut contre les noyaux atomiques, mais c'est spécialement en utilisant les neutrons que l'on a réussi à produire la radioactivé artificielle, la fission des noyaux, la transformation d'un élément en d'autres éléments, la production d'énormes quantités d'énergie.

Des théories et de géniales représentations du monde ont vu le jour; on a créé de nouveaux instruments mathématiques et des géométries de conception originale. Nous ne pouvons que citer la relativité restreinte et la relativité généralisée, les quanta, la mécanique ondulatoire, la mécanique quantique, les idées récentes sur la nature des forces nucléaires, les théories sur le origines des rayon cosmiques, les hypothéses sur la source de l'énergie stellaire.

Tout ceci permet d'entrevoir à quelle profondeur la science se meut et l'on devine aisément les problèmes d'ordre intellectuel qui vont surgir. Qu'on veuille bien considérer en outre que, si l'au-

dacieuse milice des conquérants ouvre toujours de nouvelles brèches dans la citadelle de la nature, le reste de l'armée se répand en d'innombrables autres champs du savoir : et voici le point de vue de l'*extension,* qui s'ajoute à celui de la *profondeur.* On souhaiterait, comme le hardi grimpeur parvenu au sommet de la montagne, pouvoir embrasser d'un seul coup d'œil toute l'étendue du panorama.

S'il Nous était possible. Nous voudrions vous montrer les points les plus avancés des divers secteurs de la science, pour qu'apparaisse à vos yeux l'ensemble de la situation présente.

Voyez l'astronomie qui, au moyen d'instruments entrés depuis peu en service, réussit à dévoiler dans les cieux des mystères entièrement nouveaux et qui, aidée par les sciences physiques, s'est engagée sur la voie qui la conduira peut-être à expliquer l'origine des énergies stellaires ; voici la géologie qui détermine l'âge absolu des roches par les méthodes de la radioactivité et des rapports isotopiques : l'âge même de la terre commence à être déterminé ; en minéralogie, les structures cristallines révèlent leurs secrets aux analyses puissantes exécutées à l'aide de radiations très courtes ; la chimie inorganique et organique résout les problèmes complexes de la structure des macromolécules ; elle réussit à construire des chaînes moléculaires très grandes et transforme, par les applications qui en dérivent, des secteurs entiers de l'industrie ; la radiotechnique est arrivée à produire des ondes électromagnétiques, qui touchent la limite des radiations lumineuses de plus grande longueur d'onde ; on fouille la terre pour en dé-

couvrir les trésors cachés, on explore les couches les plus élevées de l'atmosphère; la génétique découvre, dans certains complexes cellulaires particuliers, des aspects nouveaux de la puissance de la vie; la physiologie et la biologie, partant des positions conquises par la chimie, la physicochimie et la physique, rencontrent chaque jour des merveilles insoupçonnées et, chaque jour, interprètent, expliquent, prévoient et réalisent des faits nouveaux; le monde des virus cède aux assauts du microscope électronique et de la technique de la diffraction électronique, le spectographe de masse, les compteurs de Geiger, les isotopes radioactifs, tous ces instruments facilitent l'avance des sciences qui affrontent la plus grande énigme de toute la création sensible: le problème de la vie.

Dans cette synthèse de tout le savoir, la philosophie vient préciser, avec l'étendue de ses conceptions, les traits distinctifs des faits vitaux, le caractère nécessaire du principe substantiel d'unification, la source interne de l'agir, de la croissance, de la multiplication, l'unité vraie de l'être vivant. Elle montre aussi ce que doit être la matière, dans certains de ses aspects fondamentaux, pour que puissent ensuite se réaliser dans l'être vivant les propriétés caractéristiques qui le constituent.

Telles sont, sans doute, les domaines qui donneront le plus de travail à la science de demain.

2. — Mais le sentiment d'euphorie qui saisit l'esprit en face de tels résultats, est contrarié par une impression de désarroi et d'angoisse chez ceux, qui suivent, en responsables, le déroulement des faits. Angoisse et désarroi à comprendre au sens

le plus élevé, comme signe d'une aspiration vers une organisation toujours plus parfaite de la pensée, vers une clarté toujours plus grande dans les perspectives. Car les triomphes de la science sont eux-mêmes à l'origine des deux exigences, auxquelles Nous avons fait allusion plus haut.

a) Il s'agit avant tout de pénétrer la structure intime des êtres matériels et de regarder les problèmes qui intéressent les fondements substantiels de leur être et de leur action. Alors se pose la question : « La science expérimentale peut-elle par elle-même résoudre ces problèmes? Sont-ils de son ressort et tombent-ils dans le champ d'application de ses méthodes de recherche? ». Il faut répondre que non. La science procède à partir des sensations, qui sont externes par nature, et, par elles, à travers le processus de l'intelligence, elle descend toujours plus profondément dans les replis cachés des choses; mais elle doit s'arrêter à un certain point, quand surgissent des questions qu'il est impossible de trancher par le moyen de l'observation sensible.

Quand le savant interprète les données expérimentales et s'attache à expliquer des phénomènes qui ont pour siège la nature matérielle en tant que telle, il a besoin d'une lumière qui procède par voie inverse, de l'absolu au relatif, du nécessaire au contingent, et qui soit capable de lui révéler cette vérité que la science n'est pas en mesure d'atteindre par ses propres méthodes, parce qu'elle échappe totalement aux sens : cette lumière, c'est la philosophie, c'est-à-dire la science des lois générales, qui valent pour tout être, et donc aussi pour

le domaine de sciences naturelles, au delà des lois connues empiriquement.

b) La seconde exigence jaillit de la nature même de l'esprit humain, qui veut avoir une vue cohérente et unifiée de la vérité. Si l'on se contente de juxtaposer les diverses disciplines et leurs ramifications comme une sorte de mosaïque, on obtient une composition anatomique du savoir, d'où la vie semble s'être enfuie. L'homme exige qu'un soffle d'unité vivante anime ses connaissances: c'est ainsi que la science devient féconde et que la culture engendre une doctrine organique. De là naît une seconde question: « La science peut-elle effectuer, avec les seul moyens qui lui sont caractéristiques, cette synthèse universelle de la pensée? Et en tout cas, étant donné que le savoir est fractionné en d'innombrables secteurs, quelle est, parmi tant de sciences, celle qui pourrait la réaliser? ». Nous croyons, ici encore, que la nature de la science ne lui permet pas de mener à bien une synthèse aussi universelle.

Cette synthèse demande un fondement solide et très profond, d'où elle tire son unité et qui serve de base aux vérités les plus générales. Les diverses parties de l'édifice ainsi unifié doivent trouver en ce fondement les éléments qui les constituent dans leur essence. Une force supérieure est requise ici: unifiante par son *universalité,* claire dans sa *profondeur,* solide par son *caractére d'absolu,* efficace par sa *nécéssité.* Encore une fois, cette force c'est la philosophie.

3. — Hélas! depuis un certain temps la science et la philosophie se sont séparées. Il serait dif-

ficile d'établir les causes et les responsabilités d'un fait aussi dommageable. Il est certain que la cause de ce divorce n'est pas à chercher dans la nature même des deux voies qui conduisent à la vérité, mais dans les contingences historiques et dans les personnes, qui ne possédaient pas toujours la bonne volonté et la compétence qui eussent été nécessaires.

Les hommes de science ont cru, à un moment donné, que la philosophie naturelle était un poids inutile et ils ont refusé de se laisser orienter par elle. D'autre part, les philosophes n'ont plus suivi les progrès de la science, et se sont attardés sur des positions formelles qu'ils auraient pu abandonner. Mais à l'heure où, comme Nous l'avons montré, s'est imposée la necessité inéluctable d'un travail sériuex d'interprétation, ainsi que de l'élaboration d'une synthèse unifiante, les savants ont subi l'influence des philosophies que les circonstances du moment mettaient à leur disposition. Beaucoup d'entre eux, peut-être, ne se sont même pas aperçus nettement que leurs investigations scientifiques se ressentaient de tendances philosophiques particulières.

Ainsi, par exemple, la pensée mécaniste a guidé pendant longtemps l'interprétation scientifique des phénomènes observés. Les tenants de cette position à caractère philosophique croyaient que tout phénomène naturel se ramenait à un ensemble de forces physiques, chimiques et mécaniques, dans lequel le changement et l'action résultaient uniquement d'une disposition différente des particules dans l'espace des forces ou déplacements, auxquels

chacune d'elles était soumise. Il s'ensuivait que, théoriquement, on pouvait prévoir avec certitude un effet futur quelconque, à condition de connaître, au départ, toutes les données géométriques et mécaniques. Selon cette doctrine, le monde ne serait qu'une énorme machine, composée d'une série innombrable d'autres machines unies entre elles.

Les progrès ultérieurs de la recherche expérimentale ont montré cependant l'inexactitude de ces hypothèses. La mécanique déduite des faits du macrocosme est incapable d'expliquer et d'interpréter tous les phénoménes du microcosme : d'autres éléments entrent en jeu qui échappent à toute explication de nature mécaniste.

Qu'on prenne, par exemple, l'histoire des théories sur la structure de l'atome. Au début, elles se basaient essentiellement sur une interprétation mécaniste, qui représentait l'atome comme un système planétaire minuscule, constitué par des électrons tournant autour du noyau selon des lois entièrement analogues à celles de l'astronomie. La théorie des quanta imposa ensuite la révision complète des ces conceptions et suscita des interprétations géniales, certes, mais aussi indiscutablement étranges. On conçut en effet un type d'atome qui, sans éliminer l'aspect mécaniste, mettait en évidence celui des quanta.

On se représenta donc différemment la façon de se comporter des corpules : des électrons, qui, bien que tournant autour du noyau, ne rayonnaient pas d'énergie — alors que, selon les lois de l'électro-dynamique, ils auraient dû en rayonner — ; des orbites qui ne pouvaient varier de façon continue,

mais seulement par sauts; des émissions d'énergie qui se réalisaient uniquement à l'occasion du passage de l'électron d'un état quantique à un autre, produisant aussi des photons d'une fréquence particulière, fixée par la différence des niveau d'énergie.

Ces hypothèses de départ furent ensuite précisées, lorsque naquit la mécanique ondulatoire, qui les encadra dans une perspective mathématique et intellectuelle plus générale et plus cohérente, d'où les concepts mécanistes traditionnels ont disparu.

Alors, spontanément, on se pose la question: « Comment se fait-il que le monde macroscopique, bien que constitué d'éléments qui appartiennent tous au monde microscopique, obéisse cependant à des lois différentes? ». La science répond avant tout par cette remarque: quand le nombre des éléments en jeu est très grand (des milliards de milliards de particules), les lois statistiques dérivant du comportement des divers éléments pris dans leur ensemble, sont celles que l'on considère comme rigoureuses dans le monde directement observable.

Mais si la méthode statistique satisfait aux fins de la science, elle fait voir aussi combien fausses étaient certaines hypothèses philosophiques, qui s'arrêtaient à des constatations externes sensibles et les étendaient arbitrairement à tout le cosmos.

On trouve confirmation de ceci dans les théories de la physique nucléaire moderne. En effet, les forces qui tiennent unis les noyaux sont différentes de celles que l'on a découvertes en étudiant

le macrocosme. Pour les interpréter, il faut même changer la façon habituelle de concevoir la particule corpusculaire, l'onde, la valeur exacte de l'énergie et la localisation rigoureusement précise d'un corpuscule, comme aussi le caractère prévisible d'un événement futur.

L'insuccès de la théorie mécaniste a conduit des penseurs à des hypothèses entièrement différentes, empreintes plutôt d'une espèce d'idéalisme scientifique, dans lequel la considération du sujet agissant tient le rôle principal. Par exemple, la mécanique des quanta et son principe fondamental d'indétermination, avec la critique du principe de causalité qu'il suppose, apparaissent comme des hypothèses scientifiques influencées par des courants de pensée philosophique.

Mais parce que ces hypothèses elles-mêmes ne comblent pas le désir d'une entière clarté, beaucoup de penseurs illustres en sont réduits au scepticisme en face des problèmes de philosophie des sciences. Ils prétendent qu'il faut se contenter de simples constatations de faits, et tenter de les fair entrer dans des représentations formelles synthétiques et simples, afin de prévoir les développements possibles d'un systéme physique à partir du donné initial. Cet état d'esprit signifie qu'on renonce à l'introspection conceptuelle et qu'on perd l'espoir d'accomplir des synthèses géniales universelles. Nous ne croyons cependant pas qu'un tel pessimisme soit justifié : Nous estimons plutôt que les sciences naturelles, en conctat permanent avec une philosophie du réalisme critique qui fut toujours celui de la « philosophia perennis » chez ses

représentants les plus éminents, peuvent arriver à une vision d'ensemble du monde visible, qui satisfasse en quelque manière la recherche et le désir ardent de la vérité.

Mais il est nécessaire de souligner un autre point : si la science a le devoir de chercher sa cohérence et de s'inspirer de la saine philosophie, jamais celle-ci ne doit prétendre à determiner les vérités, qui relèvent uniquement de l'expérience et de la méthode scientifique. Seule en effet l'expérience, entendue au sens le plus large, peut indiquer quelles sont, dans l'infinie variété des grandeurs et des lois matérielles possibles, celles que le Créateur a voulu vraiment réaliser.

Interprètes autorisés de la nature, soyez aussi les maîtres qui expliquent à leurs frères les merveilles qui se déploient dans l'univers, et que, mieux que les autres, vous voyez rassemblées en un seul livre. En effet, la majorité des hommes ne peut guère se consacrer à la contemplation de la nature ; ils ne tirent des faits sensibles que des impressions superficielles. Vous, qui interprétez la création, devenez des maîtres avides d'en divulguer la beauté, la puissance et la perfection et de les faire goûter à d'autres. Enseignez à regarder, à comprendre, à aimer le monde créé, pour que l'admiration de splendeurs aussi sublimes fasse plier le genou et invite les esprits à l'adoration.

Ne trahissez jamais ces aspirations, ces espérances. Malheur à ceux qui se servent de la science exposée faussement pour faire sortir les hommes du droit sentier ! Ils ressemblent à des pierres jetées par malveillance sur le chemin du genre hu-

main : ils sont l'achoppement sur lequel vont trébucher les esprits en quête de vérité.

Vous avez en main un puissant instrument pour faire le bien. Rendez-vous compte des joies indicibles que vous procurez aux autres, quand vous leur dévoilez les mystères de la nature et leur en faites saisir les harmonies secrètes : les cœurs et les regards de ceux qui vous écoutent, sont comme suspendus à votre parole, prêts à chanter un hymne de louange et d'action de grâces.

15 - Epistula

(*AAS.* XXXXVII [25 aug. 1955] p. 548)

AD REV.MUM P. IOANNEM BAPTISTAM IANSSENS, PRAEPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS IESU, QUARTO REVOLVENTE SAECULO AB OBITU S. IGNATII, EIUSDEM SOCIETATIS FUNDATORIS.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Magna cum iucunditate audivimus Societatem Iesu, cui tu digne, dilecte fili, novem iam annos praees, Sancti Conditoris memoriam, quarto ab eius obitu revolvente saeculo, sollemni modo celebraturam esse, quo ardentiore erga amatum Patrem Legiferum amore, ac perfectiore erga eius Institutum observantia sodales afficiantur ac confirmentur omnes. Quae saecularia sollemnia eo libentius laudamus votisque faustis prosequimur,

quo fructus uberiores non solum in sodales Ignatianos, sed etiam in christifidelium animos inde demanaturi sperantur. Siquidem, quemadmodum quadringentesimo exeunte anno a Societate vestra condita, Apostolicis datis Litteris amantissimis [1], ad Nostrum vestrumque solacium « grato ea reputavimus animo, quae Providentissimus Deus per maiores vestros ac per vos quattuor hisce volventibus saeculis praeclara edidit facinora » [2], ita in praesens veluti in optimum auspicium id ipsum mente repetere libet; vosque paterna iterum adhortari voluntate, ut, in spiritualibus potissimum rebus, incepta, opera ac praesidia omnia impensissime provehatis, « quibus immutatis ac succrescentibus aetatis huius nostrae necessitatibus opportune occurratur » [3]. Certiores facti sumus omnes vestras Provincias, quae in terrarum orbe habentur, sponte sibi in animo proposuisse hunc annum saecularem celebrare imprimis studiosius ac fidelius colendo, largiusque Exercitia Spiritualia provehendo sui Patris Legiferi. Iamvero nil pretiosius, nil utilius, nil magis duraturum S. Ignatius suis filiis hereditate reliquit quam aureum illum librum, quem inde a Paulo III Summi Pontifices [4] necnon

---

1 Epistula Apost. *Nostri profecto; A. A. S.*, anno 1940, vol. 32, pag. 289 sq.

2 Ibid. pag. 289.

3 Ibid. pag. 295.

4 Paulus III: Litt. Apost. *Pastoralis officii*, 31 Iulii 1548; Benedictus XIV: Litt. Apost. *Quantum secessus*, 20 Mart. 1753; Leo XIII: Epist. ad R. P. Lud. Martin *Ignatiae commentationes*, 8 Febr. 1900; Pius XI: Const. Apost. *Summorum Pontificum*, 25 Iulii 1822, *A. A. S.* XIV 420-422; Pius XI: Iitt. Encicl. *Mens Nostra*, 20 Dec. 1929, *A. A. S.* XXI 698-706.

Sancti in Ecclesia plurimi nullo non tempore maximis laudibus cumularunt. Si verum est quod scripsit P. La Palma [5] librum Exercitiorum Spiritualium fuisse Sancti Ignatii primogenitum, aequo iure dici potest sanctus auctor fuisse ipse horum exercitiorum primogenitus. Illa enim sunt quae animum eius nova quadam vita corroborarunt, primos eius gressus in via perfectionis direxerunt, viresque auxerunt, ut Divinum Regem sibi eligeret labore defessum, contumeliis laceratum, tormenta et mortem in servitio aeterni Patris passum, Eumque ad summum amoris apicem sequeretur, ut divinae caritatis ardescens ignibus non seipsum solum, sed et universum mundum ad Christi pedes Servatoris adducere exoptaret. Magna quidem eorum vim expertus Ignatius in eis contineri olim testatus est « totum quod optimum in hac vita cogitare, sentire et intellegere possum, cum ut homo sibi ipsi proficiat tum ut fructus ferat, prositque et proficiat aliis multis [6]. Itaque nemo mirabitur quod Sanctus Conditor vester singulos voluit his Exercitiis plene probandos, qui in Societate ista « sub crucis vexillo Deo militare et soli Domino ac Ecclesiae Ipsius Sponsae, sub Romano Pontifice, Cristi in terris Vicario, servire » [7] cuperent. Unde enim ipse novam vitam hauserat, inde et filios voluit spiritum illum sugere, qui Societati principium dedit : mirificum quendam

---

[5] Luis de a Pama: *Camino espiritual* Madrid, Apost. de la Prensa, 1944, L. V. c. 3 p. 702.

[6] Monumenta Historica S. J. *Mons. Ignatiana* Vol. I p. 113 Epist. ad Miona.

[7] Iulius III, Litt. Apost. *Exposcit debitum*, 21 Iulii 1550.

ac sanctum animi ardorem gratia Dei in Exercitiis operante excitatum, qui non solum cupidos sed promptos eos et alacres efficeret ad divinae gloriae serviendum ac labores ea de causa strenue suscipiendos. Quamobrem suorum commodorum obliti, otium fugientes, orationis studio, mortificatione sui cuiusque ipsius fulto, dediti, totis viribus enitantur, ut finem in Societate propositum attingant. Cum vero Ignatius Constitutiones, facultate a Decessore Nostro fel. rec. Paulo III concessa [8], postea condidit sociisque tradidit observandas, non ei mens erat leges mortuas in locum legis vivae et vivificantis interni amoris sufficere. Societate autem fundata, eum non latebat quid sententia illa sibi vellet « Sedi Apostolicae peculiariter inservire »[9] sub crucis vexillo, crucis nempe illius, cui Iesus Christus chirographum quod contrarium nobis erat deletum affixit, ut omnes homines, a daemonis potestate liberati, in luce fidei et caritatis ardore ambularent. Clarum a Monte Oliveti sonabat mandatum: « et eritis mihi testes ... usque ad ultimum terrae » [10] « Extende caritatem per totum orbem », postea scribebat Augustinus, « si vis Christum amare, quia membra Christi per orbem iacent » [11]. Ipse Ignatius visurus erat plus quam mille socios etiam in dissitis regionibus Europae, Americae, Indiae, Aethiopiae sub crucis vexillo militantes.

---

8 Paulus III, Litt. Apost. *Regimini militantis Ecclesiae*, 27 Sept. 1540.

9 *Constitutiones Soc. Iesu*: Pars X. Litt. B.

10 *Act.* 1, 8.

11 S. AUGUST. in Epist. *Ioannis ad Parthos*, Tr. n. 8 ML. III - 2-2060.

Hoc quidem initium erat illius apostolatus, qui filios eius in vastam Domini vineam vocabit: alios in Missiones inter infideles, quas Summi Pontifices labentibus annis iis concredere cupient arduo labore, recta scientia, immo et martyrii sanguine excolendas; alios penes Civitatum gubernatores vel penes eos qui dura servitute obligati sunt; alios in scholas puerorum vel in cathedras studiorum Universitatum; alios denique ad Exercitia spiritualia cuilibet hominum classi tradenda vel ad mundum litterarum scriptis locupletandum et illuminandum. Constitutionum erit viam sternere, qua totum corpus singulaeque membra in quavis mundi plaga dispersa, at eodem aeterni Regis amore inter se et cum capite unita, perfectam illam vitae formam, quae Exercitiorum est fructus praecellens, secundum rationem Instituti Ignatiani assequi possint. Dilecte fili, quis ex vobis hoc anno quater saeculari vocem non audiet Pauli quondam, nunc Ignatii factam: « imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram » [12] .Deo opitulante, Societati numquam viri defuere sanctitate insignes, qui Ignatianis Exercitiis adamussim obeundis formam illam servarunt illaesam, et incitamentum roburque ceperunt ad vitam diligentissime secundum Constitutiones agendam, quo perfectiorem illam formam in se referrent, et gloriae Dei et animorum saluti quam efficacissimam navarent operam. Istius formae viros Pius VII, immortalis memoriae, quaerebat, cum Petri naviculae assiduis turbinibus agitatae

---

[12] *Phil.* 3, 17.

remiges expertos et validos providere desiderabat;[13] non alius formae Sanctae Mater Ecclesia his temporibus procellosis auxiliares ab eadem Societate quaerit. Eorum igitur vestigia hodierni filii Ignatiani premere nitantur. Sub crucis vexillo se sistant fortes ad omnes principum huius mundi tenebrarum incursiones repellendas. Superioribus, imprimisque Summo Pontifici oboedientia semper diligens et actuosissima exhibenda est; eorum nota maxime honorifica erit. Saecularibus desideriis opponatur paupertatis amor; voluptati otiosae quaedam vitae austeritas et labor indefessus; mundi dissentionibus et discordiis fraterna caritas, benigna et pacifera, invicem habita et erga omnes homines; « materialismo » fides illa sincera et studiosissima, quae Deum in mundo praesentem semper agnoscit, reveretur semper. Quod si feliciter eveniet, Ignatius mortuus suis in filiis reviviscet. Dum per has litteras tecum, dilecte fili, paterno animo agimus, Nostra cogitatio se vertit ad patres illos fratresque qui sub gravi insectatorum manu acerbissimum exsilium et supplicia passi sunt vel etiam patiuntur. Filii dignissimi illi profecto sunt, cum praeclarissimis Societatis Iesu memoriis gloriisque respondeant! Confessores catholicae fidei sunt, qui ad alios suos fratres honores amplissimos conferunt, iisque exemplum praebent. Deus eos confirmet, quos Nos amantissima voluntate amplectimur. Sed et omnes Ignatii filios amore paterno salutamus, Deum adprecantes ut per patrocininum San-

---

13 Pius VII: Litt. Apost. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 7 Aug. 1814.

cti Conditoris et Patris vestri Legiferi, sub tutela Beatissimae Virginis Mariae, virtutibus magis cotidie magisque crescant, quae divina gratia validum efficiant instrumentum, quo omnia a divina manu recte gubernentur et ad maiorem Dei gloriam feliciter conducant. Peculiaris Nostrae benevolentiae testem erga inclitam Societatem Iesu, tibi, dilecte fili, omnibusque sodalibus curae tuae demandatis qui in quavis terrarum orbis parte commorantur, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae,, apud S. Petrum, die XXXI mensis Iulii, anno MCMLV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

PIUS PP. XII

16 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVII [21-23 maii 1955] p. 294)

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

Ioseph Thomé dioecesis Aquisgranensis, humiliter se subiecit decreto S. Officii diei 26 Ianuarii 1955, quo damnatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est liber ab eo editus sub titulo *Der Mündige Christ,* Katholische Kirche auf dem Wege der Reifung, Frankfurt am Main, Verlag Josef Knecht, 1949.

Ex Aedibus S. Officii, die 16 Aprilis 1955.

MARIUS CROVINI *Supremae S. Congr.*
S. Officii Notarius

17 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVII [21-23 maii 1955] p. 294)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 23 Martii 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii Emi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Marcelle De Jouvenel, *Au diapason du Ciel — Introduction de Gabriel Marcel* — L'invisible et le le réel — Paris, La Colombe, 1950.

Et die 17 Aprilis 1955, Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 27 Aprilis 1955.

MARIUS CROVINI *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

18 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* xxxxvii [23 aug. 1955] p. 558)

DECRETUM

PROHIBITIO EPHEMERIDIS

Feria IV, die 13 Iulii 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque prohibuerunt ephemeridem quae inscribitur:

KATOLICKE NOVINY, *Praha.*

Et die 15 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII relatam Sibi Emorum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 22 Iulii 1955.

MARIUS CROVINI *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

19 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVII [24-27 iul. 1955] p. 455)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI ET PROHIBITIO EPHEMERIDUM

Feria IV, die 8 Iunii 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque prohibuerunt:

1. librum, qui inscribitur BOLESLAW PIASECKI, ZAGADNIENIA ISTOTNE, Warszawa, « Pax », 1954.

2. hebdomadarium, quod inscribitur DZIŚ i JUTRO, Varsaviae.

Et die 24 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII relatam Sibi Emorum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 28 Iunii 1955.

MARIUS CROVINI *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

20 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVII [24-27 iul. 1955] p. 455)

DECRETUM

PROHIBITIO EPHEMERIDUM

Feria IV, die 8 Iunii 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque prohibuerunt ephemerides quae inscribuntur:

1. A KERESZT, Budapest;
2. BULLETIN CATHOLIQUE HONGROIS, Budapest.

Et die 24 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XII relatam Sibi Emorum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 28 Iunii 1955.

MARIUS CROVINI *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

21 - Sacra Congregatio Consistorialis

(*AAS.* XXXXVII [25 feb. 1955] p. 91)

NORMAE ET FACULTATES

PRO SACERDOTIBUS IN SPIRITUALEM EMIGRANTIUM CURAM INCUMBENTIBUS NEMPE PRO MISSIONARIIS EMIGRANTIUM ET MISSIONARIORUM DIRECTORIBUS, IUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE DUODECIMI EDITAE.

I

1. Legitime assumpti in officium Missionarii emigrantium vel Directoris Missionariorum illi sacerdotes censentur, qui adamussim servatis normis, quae in Constitutione Apostolica *Exsul Familia,* Titulo altero, art, 5 praescribuntur, peculiari obtento a Sacra Congregatione Consistoriali Rescripto adprobati et nominati sunt.

2. Sacerdotibus Missionariis emigrantium et Directoribus Missionariorum eorumdem sacrum esto religiose servare ea omnia, quae de Missionariis emigrantium eorumque directoribus praecipiuntur in praedicta Constitutione Apostolica (l. c., cc. III et IV).

II

3. Missionariis emigrantium eorumque Directoribus, quae infra recensentur facultates seu privilegia, *durante munere* tribuuntur.

1° Privilegium altaris portatilis, de consensu Ordinarii loci, dummodo Missa celebrari debeat in

commodum fidelium sibi concreditis, servatis ceteris de iure servandis.

2° Facultas celebrandi *sub dio,* dummodo pariter Missa celebrari debeat in commodum fidelium sibi concreditis, et locus celebrationis sit decens atque honestus et adhibeatur tentorium quo altare a ventis protegatur ne fragmenta disperdantur, prae oculis habita Instructione S. Congregationis de Sacramentis diei 1 Octobris 1949 (*A. A. S.*, XXXXI, pp. 493 ss.), de consensu pariter Ordinarii loci et servatis ceteris de iure servandis.

3° Facultas bis vel ter litandi diebus dominicis et festis de praecepto necnon feriatis in commodum christifidelium in territorio missionis commorantium, dummodo accedat Ordinarii loci consensus et tertia Missa celebretur in ecclesia ubi aliae duae iam celebratae non sint, si id fieri possit absque gravi incommodo, constito in singulis casibus de vera necessitate tertiae Missae, onerata super hoc Directoris Missionariorum conscientia, remoto quocumque admirationis vel scandali periculo, vetita celebranti eleemosinae perceptione pro duabus Missis, servatis ceteris de iure servandis.

4° Facultas celebrandi Missam pro fidelibus sibi commissis media nocte Nativitatis Domini, remoto quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

5° Facultas item celebrandi Missam pro iisdem christifidelibus nocte quae intercedit inter diem XXXI decembris et I insequentis ianuarii, quolibet anno, cum facultate Missam inchoandi ipsa media nocte, dummodo sacrae supplicationes perdurent spatio circiter duarum horarum, in hoc compre-

henso celebrationis Missae tempore, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

6° Privilegium celebrandi unam Missam feria V Maioris Hebdomadae.

7° Quoad celebrationem Missae horis vespertinis seu de sero standum est normae VI Constitutionis Apostolicae *Christus Dominus* diei 6 mensis ianuarii a. 1953 (*A. A. S.*, XLV, pp. 22-23).

8° Facultas benedicendi sacerdotalia indumenta, mappas et tobaleas seu linteamina altaris, corporalia, tabernacula seu vascula pro sacrosancta Eucharistia conservanda et cetera quae ad divinum cultum inserviunt.

9° Facultas benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, cruces, parvas statuas et numismata; adnectendi insuper coronis indulgentias a Sancta Birgitta et a patribus Crucigeris nuncupatas.

III

4. Licet emigrantibus per integrum anni tempus praecepto paschalis communionis satisfacere.

5. Christifideles qui S. Missae ab emigrantium Missionariis in altare portatili vel *sub dio* celebratae assistunt festivo praecepto de sacro audiendo satisfaciunt.

6. Fideles emigrantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam die II augusti, toties valent consequi quoties Oratorium seu Cappellam missionis ubi Sanctissima Eu-

charistia legitime custoditur pie visitaverint ibique sex *Pater, Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die x mensis decembris anno MCMLIV, in festo Translationis Almae Domus Beatae Mariae Virginis.

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

IOSEPHUS FERRETTO, *Adsessor*

22 - Sacra Congregatio Concilii

(*AAS*. XXXXVII [25 iun. 1955] p. 413)

RESCRIPTUM

Beatissime Pater,

Aliqui Episcopi dioecesani in Polonia contulerunt Sacerdotibus beneficia ecclesiastica, in actu provisionis declarantes se canonicam missionem in possessionem, seu institutionem corporalem, in posterum esse expleturos. Attamen sunt Episcopi, qui ob varias rationes in exercenda iurisdictione impediuntur. Ideo imploratur a Sanctitate Tua benigna dispensatio a lege quae in canone 1444 § 1 dictam institutionem corporalem praescribit; eo vel magis quod aliqui Sacerdotes in possessione pacifica beneficii iam per integrum triennium, quinquennium vel etiam septennium maneant.

Quae cum ita sint, ne dedignetur Sanctitas Tua imploratam gratiam dispensationis concedere, cum omnibus effectibus iuridicis, etiam in tempus praeteritum validis, supplendo quemcumque defectum legis.

Sacra Congregatio Concilii, de mandato Ss.mi Domini Nostri Pii PP. XII, attentis peculiaribus rerum adiunctis, iisque perdurantibus, gratiam in omnibus iuxta preces benigne impertita est.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

L. ✠ S.

Franciscus Roberti, *a Secretis*

23 - Sacra Congregatio de Religiosis

(*AAS*. xxxxvii [25 feb. 1955] p. 93)

INSTRUCTIO

DE CAPPELLANIS MILITUM RELIGIOSIS

Sacrorum administri e clero saeculari cum numero non sint saepe sufficientes, Vicarii Castrenses ad sacra munia in militum commodum exercenda quandoque Religionum vel Societatum vitae communis sodales oportet asciscant.

Quidam ergo Summi Pontificis Legati quaesierunt an Sacra haec Congregatio peculiaribus editis rationibus et normis hac de re constituisset.

Iamvero in Instructione a Sacra Congregatione Consistoriali de *Vicariis Castrensibus*, die 23 mensis Aprilis anno 1951 expedita (*A. A. S.*, 43-

1951, p. 564), re per Augustum Pontificem antea probata, haec praescribuntur (XIII): « Optimi expertique ad officium Cappellani seligantur etiam religiosi sacerdotes, servatis tamen peculiaribus normis pro iisdem a S. Congregatione Negotiis Religiosorum praeposita datis, qui vero, si fieri potest, locis destinentur ubi ipsorum Religionis domus habeatur ».

Itaque Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita horum perfectionis pro officio suo studiosa ac diligens, hanc decrevit edere Instructionem, qua rationes traderentur eiusdem muneris tuto accipiendi et normae constituerentur id, cum accipiendum esset, sancte fructuoseque gerendi.

Art. I

Cappellani militum religiosi nominatio, amotio, vigilantia.

1. Munus Cappellani militum quod a sacerdote in propria manente domo religiosa atque integris communis vitae institutis exerceri non potest, sed e contrario postulat ut tota fere vita extra religiosam familiam militari quodam saecularique modo continenter ducatur, non est accipiendum nisi vera cogit necessitas, scilicet cum Cappellani e clero saeculari desiderantur.

2. Nominatio religiosorum ad munus Cappellani militum eorumque amotio, in universum iis regulis ac normis canonice diriguntur, quae sunt de nominatione et amotione parochorum religiosorum

institutae (can. 456, 454, § 5, servato art. III, 1); eorum vigilantia atque correctio ad Vicarium Castrensem et ad Superiores religiosos iuxta can. 631 et Instructionem S. Congregationis Consistorialis spectat.

3. Ordinarius loci hac in re intelligendus est Vicarius Castrensis.

4. Attentis peculiaribus adiunctis in quibus saepe tale ministerium exercetur, Superior religiosus nemini invito, nisi consulto et gravioribus de causis, illud imponat.

Art. II

De condicionibus ad munus Cappellani necessariis

Ad munus Cappellani militum, onerata conscientia eorum ad quos pertinet, eligendi sunt, tempore pacis, religiosi:

1) qui trigesimum quintum aetatis annum attigerint, vel in casu verae necessitatis, qui trigesimum saltem annnum compleverint, ea tamen condicione, ut maturioris animi dotes prae se ferant;

2) qui doctrina, pietate ac spiritu religioso sint praestantes, nec falsae libertatis amore ducti munus amplectantur.

Art. III

De tempore munus gerendi

1. Cappellani militum religiosi ad nutum Vicarii Castrensis et Moderatoris religiosi, iustis de

causis, munere possunt demoveri; Moderatoris autem religiosi erit tempestive rem cum Vicario Castrensi ita componere, ut remotionis occasione, nec cum auctoritate militari difficultas oriatur, nec apostolicum munus detrimentum ullum patiatur.

2. Cappellani militum religiosi, ne ultra quinquennium in munere constituantur, renovato secundo quovis anno Superiorum religiosorum consensu.

3. Idem officium iterum ne suscipiant, nisi postquam, saltem per aliquot menses, in domo religiosa, perfectae vigenti disciplinae, sese ultro demisseque subiecerint. Ab hac obligatione, Superior religiosus, onerata conscientia, dispensare potest eos praesertim qui durante munere communitatis religiosae beneficio plene privati non fuerunt.

Art. IV

De condicione religiosa Cappellani militum

1. Cappellanus militum religiosus non est cum exclaustratis (can. 639) eodem habendus numero, sed cum religiosis, qui sacri ministerii causa, suis obnoxii Moderatoribus, dum in officio tenentur, legitime absunt (can. 606, § 2).

2. Cappellani militum, uti religiosi legitime absentes, iuribus atque privilegiis propriae Religionis fruuntur, eaque suae Sodalitatis munera retinere vel suscipere possunt, quae muneri Cappellani militum de iure vel de facto non repugnant.

3. Cappellanus militum religiosus item votorum sponsione Deo est obligatus et officio adstric-

tus ea semper fideliterque servandi. Neque desinit esse devinctus Regulis, Constitutionibus et vitae, quam professus est, praescriptis, quae cum eius statu atque munere conveniunt.

Art. V

De disciplina religiosa et sacerdotali Cappellani militum

1. Quod ad disciplinam sacerdotalem Cappellani militum religiosi attinet, est ante oculos habenda « *Instructio pro Vicariis Castrensibus* », a Sacra Congregatione Consistoriali die 23 mensis Aprilis anno 1951 edita (*A. A. S.*, 43, p. 562).

2. Moderatores maiores suae ipsorum dicioni subiectis, quibus grave munus Cappellani militum defertur, litteras oboedientiales dare debent, quibus ea, quae hic de disciplina religiosa sunt praecepta, pro peculiaribus condicionibus ac locis definiantur, et, si opportunum in Domino visum fuerit, prudenter etiam compleantur.

3. Curandum erit imprimis ut quilibet Cappellanus militum religiosus alicui propriae Religionis domui sit adscriptus cuius Superior curam huiusmodi religiosi in re spirituali et materiali gerat.

4. Cum Moderatorum maiorum, ad quos pertinet, iudicio, numerus religiosorum ad munus Cappellani militum ascitorum id postulare videtur, ad provinciam seu regionem aut nationem pertinens Officium poterit constitui, cuius erit, ipsis Moderatoribus invigilantibus, in re spirituali, intellec-

tuali, materiali curam agere Cappellanorum et operam Moderatorum localium adiuvare vel ex parte horum munia explere.

5. Valde etiam optandum est, ut Vicario Castrensi unus vel alter Cappellanus militum religiosus aggregetur, qui ipsi consilio et Sodalibus religiosis auxilio esse poterit.

6. *a*) Moderatores religiosi per sese vel per laudatum (N. 4) Officium faciant, idemque Vicariis Castrensibus magnopere commendatur, ut Cappellani religiosi, si fieri potest, in iis locis seu stationibus collocentur, ubi propriae Religionis sedes est constituta.

b) Cappellani religiosi, si fieri potest, in propriae Religionis domo pernoctabunt aut, si copia nullo pacto datur, in alia religiosa vel saltem pia domo.

c) De prudentiae normis et opportunis cautionibus, in Constitutionibus, Regulis vel Statutis expressis, quae castimoniae tutandae conducunt, Moderatores continenter admoneant Cappellanos ut eas ad usum diligenter deducant.

d) Moderatores religiosi opportune ac saepe a Vicario Castrensi exquirant quomodo propriae dicioni subiecti Cappellani se gerant, et si res postulet, cum eo agant de Cappellano religioso periculis prohibendo aut efficaciter inducendo ut munus suum studiose exsequatur.

7. *a*) Cappellanus religiosus plane noverit se sub potestate suorum Moderatorum esse constitutum haud secus fere ac religiosos paroeciam regentes. Quodcirca, salvis utique iuribus Vicarii Castrensis, tota vita religiosa, sacerdotalis, quam

ducit, eorumdem vigilantiae, inspectioni et iudicio est obnoxia. Ab iis opportune petat et accipiat dispensationes et facultates vitam religiosam respicientes quibus ipsi opus est. Poterit quoque prudenti Moderatorum iudicio servare Ordinem divini Officii recitandi Sacrique peragendi, a Vicario Castrensi constitutum (*Instr. S. C. Consist.*, n. VII).

b) Temporibus per Moderatores statutis Cappellanus religiosus accepti et expensi rationem Moderatori religioso, cui proxime est subiectus, reddat, ita ut integra sit religiosa Cappellani paupertas.

c) Accepta pecunia, quae utpote in necessarios vitae usus et officia Cappellani religiosi haud impensa, superest, Superiori religioso tradatur, ad normam can. 594, § 2, ratione habita praescriptorum, si quae sint, a lege patria vel a Vicario Castrensi, de pecuniali scilicet ope inter Cappellanos militum mutuo praestanda.

8. *a*) Assidua sit inter Cappellanum religiosum et Moderatores epistularum consuetudo.

b) Moderatores, quotiescumque iis liceat, ad Cappellanos visendi causa ipsi veniant aut alios suo nomine iubeant venire .

c) Curent Moderatores ut sodales, eius praesertim domus cui Cappellani sunt adscripti, atque domorum in loco, ubi commorantur, positarum, eosdem Cappellanos invisant, ad se invitent atque fraterna caritate numquam non prosequantur. Idem caritatis officium libenter exerceant erga alios militum Cappellanos religiosos, qui longe ab aliqua suae Religionis domo degunt.

3. *a*) Studeant imprimis Cappellani religiosi caeteros militum Cappellanos antecellere amore fraternitatis et zeli sacerdotalis ardore, ita ut in ipsis vivam exhibeant imaginem boni militis Christi Iesu.

b) Officio exercitia spiritualia quotannis peragendi fideliter satisfaciant, ea servata consuetudine ut divinis rebus vacaturi in propriae Religionis domum se recipiant.

c) Semel in mense animum collecturi in domum religiosam se abdant, ubi a saeculo semoti, diem in supernam rerum meditatione transigant.

d) Quae concedi solent aut quas ipsi impetrarunt ferias, Cappellani non apud propinquos vel in locis suo arbitrio electis, sed in domibus religiosis locisve per Moderatores sibi constitutis, horum voluntati oboedientes, agere debent.

10. Quae art. IV et V praescribuntur, observari debent etiam tempore belli.

Romae, 2 Februarii 1955.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*
Arcadius Larraona, C. M. F., *Secretarius*

24 - Motu Proprio

(*AAS.* XXXXVII [21-23 maii 1955] p. 266)

DE PONTIFICIO OPERE PRIMARIO RELIGIOSARUM VOCATIONUM.

Cum supremae paternaeque Nostrae sollicitudini respondens, S. Congregatio negotiis religioso-

rum sodalium praeposita peropportunum renuntiaverit Opus primarium religiosarum vocationum condere, quod sibi proponat in christifidelibus — omni sane consilio, sed potissimum per diversa in singulis regionibus constituta id genus Opera — voluntatem excitare fovendi, tuendi, iuvandique ad perfectionis christianae Status vocationes, rectam de dignitate ac utilitate perfectionis Statuum notitiam pervulgare, itemque fideles ex omnibus orbis partibus in communionem precum ac piorum exercitiorum vocare, Nos, motu proprio ac de Apostolicae plenitudine potestatis, Opus, quod Pontificium nominamus, vocationum religiosarum apud eandem S. Congregationem constitutum volumus, statuimus ac decernimus, addita facultate aggregandi Opera ac personas, cum id postulatum fuerit, simulque indulgentias concessas vel concedendas, atque favores spirituales, ad universos adscriptos extendendi.

Quod quidem ratum firmumque sit ac permaneat, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiari etiam mentione dignis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XI mensis Februarii, anno MCMLV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

25 - Sacra Congregatio de Religiosis

(*AAS.* XXXXVII [21-23 maii 1955] p. 298)

PONTIFICIUM OPUS VOCATIONUM RELIGIOSARUM

I

STATUTA

I

Pontificium Opus vocationibus ad perfectionis Status tuendis fovendisque est Opus princeps a Ss.mo Domino Pio Pp. XII constitutum per Apostolicas Litteras motu proprio datas *Cum supremae,* die XI Februarii a. MCMLV.

II

Hoc Pontificium Opus suam sedem habet apud S. Congregationem religiosorum sodalium negotiis praepositam.

III

Ad finem qui praestitutus est adsequendum, Pontificium Opus:

1° curat imprimis propagationem genuinae notionis de perfectionis Statuum natura, utilitate, excellentia prout exponitur in recentioribus documentis pontificiis;

2° promovet opera pietatis, paenitentiae et caritatis, ut Deus multas easque optimas vocationes ad perfectionis Status concedat;

3° fovet incrementum Operum quae pro religiosis vocationibus in singulis regionibus erecta sunt, et curat ut constituantur ubi nondum condita fuerint.

IV

Ad Pontificium Opus adgregari possunt:

Religiones omnes ac Societates quae Religionibus adsimilantur, Instituta saecularia sive virorum sive mulierum, monasteria ac singulae religiosae domus, Consilia ex Moderatoribus ac Moderatricibus maioribus prout nunc in pluribus nationibus exstant, et Opera quaeque peculiari modo ad vocationes religiosas excolendas iuvandasque constituta.

Eidem Operi adscribi possunt:

Collegia ecclesiastica consociationesque catholicae, christifideles omnes qui sive ad clerum sive ad laicatum pertineant, quique tanto Operi praesto esse cupiant.

V

Pontificium Opus vocationum religiosarum committitur tutelae Sacrae Familiae Nazarethanae quae omnibus perfectionis Statibus « suavis efficacisque coniunctionis vitae contemplativae cum activa praebet exemplum » (Constitutio Apostolica *Sponsa Christi*).

Romae, die XI Februarii anno MCMLV.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. ✠ S.

P. ARCADIUS LARRAONA, C. M. F., *Secretarius*

II

Normae ad statuta exsequenda

Regimen

Pontificio Operi vocationum religiosarum praeest E.mus Cardinalis Praefectus S. Congregationis de Religiosis; vices eius gerit Exc.mus Secretarius eiusdem S. Dicasterii.

Pontificium Opus nulla in re autonomiam atque legitimam libertatem adimit Operibus pecularibus quae propriis legibus continentur et ordinantur.

Adscriptio

Petitio adgregationis vel adscriptionis Pontificio Operi pro Statibus perfectionis, collegiis ecclesiasticis, ceterisque institutis vel consociationibus catholicis et Operibus peculiaribus vocationum religiosarum fit ab eorumdem Moderatoribus.

In actu adgregationis vel adscriptionis Pontificium Opus tradit Societatibus diploma, et personis speciale testimonium.

Omnes adscripti modicam stipem annuam conferent.

Piae exercitationes

Quae sequuntur valde commendantur, ut Deus optimas vocationes ad singulos Status perfectionis concedere dignetur una cum auxiliis necessariis quibus vocationes ipsae ad felicem exitum adducantur:

1° abstinentia et ieiunium in vigiliis Assumptionis B. M. V. et Natalis D. N. I. Ch., speciali intuitu Operis vocationum religiosarum;

2° preces quas singuli Status perfectionis per vices, sine intermissione fundant;

3° celebratio *diei vocationum religiosarum* cum pio exercitio per decretum S. C. Rituum adprobato, atque peculiaribus indulgentiis a S. Paenitentiaria Apostolica ditato;

4° celebratio *diei oblationis* in quo infirmi dolores et angustias pro vocationibus religiosis una cum pretiosissimo Sanguine Christi Domino offerent.

Pontificii Operis navitas

Pontificii Operis erit:

1° providere ut typis apte edantur scripta et pervulgentur, quo melius in dies cognoscatur et magis aestimetur dignitas et utilitas religiosae vocationis;

2° suadere sacerdotibus ut ad hoc pertractandum argumentum omnes opportunitates nanciscantur (e. g. conciones quadragesimales, exercitia spiritualia, supplicationes novendiales, catecheses pro adultis, etc.);

3° adhortari fideles ut studeant tum documentis a Sancta Sede datis, tum scriptis Sanctorum Patrum et piorum auctorum de Statibus evangelicae perfectionis et de vita religiosa;

4° fovere in pueris et adulescentibus utriusque sexus, quorum quovis titulo praesertim Statuum perfectionis membra curam habeant, vitae

religiosae aestimationem et intimum perfectionis christianae desiderium in eisdem alere;

5° congressus convocare in quibus hoc argumentum tractabitur, vel saltem curare ut in ceteris etiam congressibus, aliquid semper edisseratur de vocatione religiosa;

6° servare necessitudinem et rationes cum Religionibus, Societatibus, Institutis adgregatis. Opera peculiaria, ceteraque incepta utilia adiuvare, promovere ac inter se colligare, eisdem proponendo aptiora adiumenta ad optatum finem obtinendum. De omnibus dein quae egerint et consecuti fuerint, breviter, plane, accurate Pontificio Operi referant.

Dies festi

Praecipua festa Operis Pontificii erunt:

1° festum S. Familiae, Dominica infra Oct. Epiphaniae;

2° festum Omnium Ss. Fundatorum;

3° festum Ss. Petri et Pauli, die 29 Iunii;

4° dies onomasticus Summi Pontificis, supremi Moderatoris omnium Statuum perfectionis.

Romae, die XI Februarii anno MCMLV.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. ✠ S.

P. ARCADIUS LARRAONA, C. M. F. *Secretarius*

26 - S. C. Rituum

(*AAS.* XXXXVII [25 iun. 1955] p. 418)

DUBIA

Circa interpretationem decreti S. R. C. diei 23 martii 1955 « De rubricis ad simpliciorem formam redigendis ».

Edito Decreto generali « De Rubricis ad simpliciorem formam redigendis » diei 23 Martii 1955, ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt; nimirum:

1. Utrum diebus a 2 ad 5 Ianuarii, et a 7 ad 12 eiusdem mensis in choro Missa defunctorum celebrari possit?

2. Utrum diebus suppressae octavae Epiphaniae, in officio feriali, antiphonae ad *Benedictus* et ad *Magnificat* dicendae sint quae singulis diebus infra octavam notantur?

3. In Dominicis olim infra octavas Ascensionis, Corporis Christi et Ss. Cordis Iesu, iuxta tit. II, 19, officium dicitur « prouti nunc ». Quaeritur: *a*) quinam sit color paramentorum? *b*) quaenam dicenda sit praefatio?

4. Utrum numerus commemorationum, de quo tit. III, 4, *a, b, c,* ita intelligendus sit ut comme-

morationes admissae semper sint « praeter et post » commemorationes nunquam omittendae?

5. Utrum festa commemorata, iuxta tit. III, 5 adhuc gaudeant in officio lectione IX historica vel evangelica?

6. Utrum festum cuiusvis tituli vel mysterii Domini occurrens in Dominicam acquirat primas Vesperas?

7. Quoad officium S. Mariae in Sabbato, quaeritur: utrum reducatur ad commemorationem?

8. Quaenam antiphona dicenda est ad Vesperas Feriae VI, tempore paschali, quando die sequenti fit de S. Maria vel de festo quod caret primis Vesperis?

9. Quoad Missas votivas sollemnes quaeritur: utrum maneant rubricae praescribentes earum commemorationem faciendam esse sub unica conclusione cum oratione diei, cum celebrari impediuntur?

10. Utrum, iuxta tit. V, 4, collectae ab Ordinario simpliciter imperatae omittantur quando orationes dicendae numerum ternarium attigerint?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia Specialis Commissionis, reque sedulo perpensa respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. In Dominica infra octavam suppressam Ascensionis color paramentorum erit albus, et praefatio Ascensionis; in Dominicis infra octavas suppressas Corporis Christi et Ss. Cordis Iesu, color paramentorum erit viridis, et praefatio de Trinitate.

Ad IV. Negative, iuxta n. 3, tit. III, de ternario orationum numero non excedendo.

Ad V. Negative.

Ad VI. Affirmative, quia tenet locum Dominicae.

Ad VII. Negative.

Ad VIII. Dicenda est antiphona II Vesperarum Dominicae praecedentis.

Ad IX. Affirmative, si oratio praescribatur sub praecepto; Negative, si oratio permittatur dicenda ad libitum. In supplicatione vero XL Horarum, aut occasione expositionum quae forte fiunt per annum, oratio Ssmi Sacramenti semper est dicenda in omnibus Missis, quae celebrantur in altari expositionis tantum.

Ad X. Collectae ab Ordinario simpliciter imperatae omittuntur quando orationes, una cum collectis, numerum ternarium attigerint.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 2 Iunii 1955.

L. ✠ S.

C. Card. Cicognani, Praefectus

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

ANNOTATIONES

Maior pars responsorum commentario non indiget. Tantum agimus de numero orationum, de orationibus sub unica conclusione cum oratione diei faciendis, et de lectione IX historica vel evangelica officii commemorati. Praeterea annotamus nonnullos commentarios decreti generalis de rubricis ad simpliciorem formam redigendis. Tandem aliquando proponimus nostra dubia et manifestamus novitates in commentariis observatas.

Hae annotationes sunt continuatio commentarii nostri in *Periodica* 44 (1955) 228-332 [1].

1. De numero orationum. Secundum Ord. III 3-4 et S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad IV et X, intentio Sacrae Congregationis Rituum est, ut in Officio et in Missa orationes numerum ternarium non excedant. Etiamsi dubitatio nobis nondum omni ex parte expulsa est, putamus aliis commentariis etiam inspectis, nos totam hanc materiam tribus punctis complecti posse.

---

[1] Abbreviationes: Comment. = numerus in margine commentarii nostri in Periodica 44 (1955) 228-332. — Ed Lit. = A. Bugnini C.M. — I. Bellocchio C.M., *De rubricis ad simpliciorem formam redigendis.* Commentarium ad decretum S.R.C. diei 23 martii 1955. *Editio altera emendata et aucta.* Roma, Edizioni Liturgiche, 1955. 108 p. — Ord. = Titulus et numerus Ordinationum de rubricis ad simpliciorem formam redigendis secundum Decretum S. C. R. diei 23 martii 1955. — Ordo 1956 universalis Ecclesiae = Ordo divini officii recitandi sacrique peragendi iuxta kalendarium universalis Ecclesiae pro anno Domini bissextili 1956. Roma, Edizioni Liturgiche, 1955. 156 p.

a) Praeter normas quae in Ord. III 4 (vide Comment. 63-65) de commemorationibus communibus latae sunt, etiam haec rubrica applicanda est: *commemorationes communes* admittuntur, dummodo cum oratione prima, cum oratione sub unica conclusione cum oratione diei facienda, cum commemorationibus privilegiatis (Ord. III 2 et S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad IV) et cum orationibus votivis late dictis (scil. oratione de Ss. Sacramento, oratione in anniversario creationis et coronationis Papae, oratione in anniversario electionis et consecrationis Episcopi, oratione in anniversario propriae ordinationis [2], et collectis a loci Ordinario imperatis pro re gravi; excipiuntur collectae a loci Ordinario imperatae pro re non gravi seu simpliciter imperatae) numerum ternarium non excedant [3].

---

[2] Oratio in anniversario propriae ordinationis, etiamsi ex praescripto rubricarum dici non debet sed licet, ad orationes votivas late dictas pertinet. Quamobrem si die 25 maii, in festo duplici S. Gregorii, anniversarium propriae ordinationis occurrit et simul collecta simpliciter imperata est, in Missa S. Gregorii sacerdotem licet post primam orationem sub altera conclusione addere vel commemorationem S. Urbani cum oratione pro seipso sacerdote (omissa collecta simpliciter imperata) vel commemorationem S. Urbani cum collecta simpliciter imperata (omissa oratione pro seipso sacerdote); si eodem die oratio pro re gravi imperata est, sacerdotem licet post primam orationem sub altera conclusione addere vel collectam pro re gravi imperatam cum oratione pro seipso sacerdote (omissa commemoratione S. Urbani) vel commemorationem S. Urbani cum collecta pro re gravi imperata (omissa oratione pro seipso sacerdote).

[3] Sic v. g. in Missa festi particularis patroni minus principalis (= duplex maius) quod infra Quadragesimam die 9 februarii occurrit, habentur hae orationes: 1ª Patroni, 2ª feriae, 3ª S. Cy-

b) Praeter rubricas antiquas quae immutatae censentur, et normas Ord. V 4 latas, *collectae* a loci Ordinario *simpliciter imperatae* seu *pro re non gravi* admittuntur, dummodo cum oratione prima, cum oratione sub unica conclusione cum oratione diei facienda, cum commemorationibus ét privilegiatis ét communibus, ac cum omnibus orationibus votivis late dictis numerum ternarium non excedant (Ord. V 4).

N. B. Si vero, iuxta rubricas, duae orationes recitatae fuerint, et Ordinarius duas collectas simpliciter imperaverit, tunc prima tantum collecta additur (S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad X).

c) *Orationes votivae stricte dictae* admittuntur, dummodo cum omnibus aliis orationibus (scil. oratione prima, oratione sub unica conclusione cum oratione diei facienda, commemorationibus ét privilegiatis ét communibus, ac orationibus votivis late dictis, collecta simpliciter imperata inclusa) numerum ternarium non excedant.

---

rilli (commemoratio S. Apolloniae omittenda est, quia numerus ternarius orationum excedendus non est).

Si in festo duplici II classis (quod unam tantum admittit commemorationem communem) una commemoratio privilegiata et una commemoratio communis occurrunt, utraque dicenda est, quia numerus ternarius orationum non exceditur.

In festo Visitationis B. M. V. (die 2 iulii) matrimonium et anniversarium consecrationis Episcopi concurrunt ac simul collecta pro re gravi imperata est: in Missa Visitationis oratio pro sponsis sub unica conclusione cum oratione Visitationis facienda est, et sub secunda conclusione 3ª oratio est collecta pro re gravi et 4ª oratio pro Episcopo (commemoratio Ss. Processi et Martiniani omittenda est); in hoc exemplo demonstratur etiam nunc plus quam tres orationes possibiles esse.

2. ORATIONES SUB UNICA CONCLUSIONE CUM ORATIONE DIEI FACIENDAE admittuntur si praescribuntur sub praecepto, sed prohibentur si permittebantur dicendae ad libitum (S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad IX). Ergo:

a) Rubricae de oratione sub unica conclusione cum oratione Missae diei (sive cantatae sive lectae) addenda, immutatae censentur si *oratio praescribitur sub praecepto,* scil.: in Missa officii diei in collatione Ordinum — in Missa diei Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, quae est Missa exsequialis — in Missa officii diei, si Missa pro sponsis impeditur, etiam tempore clauso si intercedit Ordinarii permissio — in Missa officii diei, si Missa votiva sub praecepto praescripta impeditur (v. g. Missa votiva gratiarum actionis a kalendario praescripta; Missae in supplicatione XL Horarum praescriptae; Missae pro triduanis solemniis nuper Beatificati vel Canonizati praescriptae).

b) Oratio sub unica conclusione cum oratione Missae diei addenda, suppressa est si antea *oratio dicenda ad libitum permissa erat,* scil.: si per accidens in sua die impediuntur festa Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriae ecclesiae, aut Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis [4] — si per accidens in sua die impediuntur festa quae cum magno populi concursu, cuius rei iudex est loci Ordinarius, celebran-

---

[4] Ordo 1956 universalis Ecclesiae (p. XX) admittit commemorationem, ut videtur, sub secunda conclusione. Haec autem ordinatio non habetur in decreto S. C. R. 2 iunii 1955.

tur [5] — si impediuntur solemnitates externae repositae festorum Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriae ecclesiae, aut Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis — si in die Dominica impediuntur solemnitates externae festorum quae ante reformationem a S. Pio X peractam, perpetuo affixa erant alicui Dominicae cum ritu duplici I vel II classis — si in prima feria sexta mensis impeditur Missa votiva solemnis SS. Cordis Iesu — si in prima feria V vel primo sabbato mensis vel sabbato post primam feriam VI mensis Missa votiva solemnis D.N.I.C. Summi et Aeterni Sacerdotis impeditur — si impediuntur aliae Missae votivae solemnes quae celebrandae ad libitum permittuntur.

3. Lectio IX historica vel evangelica officii commemorati (Ord. II 7 et 21, V 9; S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad V). In Ord. III 5 nonnulla privilegia festorum commemoratorum supressa sunt; ibi recensio lectionis IX historicae vel evangelicae neglegentia humana, ut videtur, praeterita erat; quamobrem dubium V. In genere nunc haec lex observanda est: In omnibus officiis trium nocturnorum lectio IX semper fit de homilia officii diei, nam lectio IX historica vel evangelica omnium officiorum commemoratorum suppressa est.

In officiis trium nocturnorum quae usque nunc lectionem IX historicam vel evangelicam officii commemorandi habebant, hae normae applicandae sunt:

[5] Vide notam antecedentem.

a) Si lectiones tertii nocturni sunt de Communi, etiam lectio IX de eodem Communi fit. Hoc occurrit in sequentibus festis kalendarii universalis Ecclesiae:

Jan. 14 S. Hilarii
15 S. Pauli
28 S. Petri Nolasci
Feb. 6 S. Titi
7 S. Romualdi
8 S. Joannis de Matha
9 S. Cyrilli
10 S. Scholasticae
12 Ss. Septem Fundat.
23 S. Petri Damiani
Mart. 6 Ss. Perpetuae et Fel.
7 S. Thomae de Aquino
9 S. Francisc. Roman.
12 S. Gregorii I
17 S. Patricii
21 S. Benedicti
Apr. 2 S. Francisci de Paula
5 S. Vincentii Ferrerii
11 S. Leonis I
28 S. Pauli a Cruce
Mai. 10 S. Antonini
19 S. Petri Caelestini
25 S. Gregorii VII
26 S. Philippi Nerii
Jun. 12 S. Joan. a S. Facundo
19 S. Julian. de Falc.
Aug. 2 S. Alfonsi
9 S. Joannis Mariae Vianney
23 S. Philippi Benitii
30 S. Rosae Limanae
Sep. 20 Ss. Eustachii et Soc.
22 S. Thomae de Vill.
Oct. 9 S. Joannis Leonardi
Nov. 4 S. Caroli
9 Dedicatio archib. SS. Salv.
10 S. Andreae Avellini
19 S. Elisabeth
23 S. Clementis I
24 S. Joannis a Cruce
26 S. Silvestri

b) Si in festis cum lectionibus tertii nocturni propriis praesto est lectio IX propria cum rubrica « Si autem IX lectio alicuius officii commemorati non sit dicenda, erit sequens lectio IX », haec lectio dicenda est. Hoc occurrit in sequentibus festis kalendarii universalis Ecclesiae:

Feb.	5	S. Agathae	Jun.	18	S. Ephraem
Mart.	19	S. Joseph		28	S. Irenaei
	24	S. Gabrielis	Jul.	18	S. Camilli
	25	Annuntiatio B.M.V.	Aug.	6	Trasfiguratio D.N.I.C.
	27	S. Joannis Damasceni		22	Immac. Cordis B.M.V.
Apr.	4	S. Isidori	Sep.	8	Nativitas B.M.V.
	14	S. Justini		15	Septem Dolor. B.M.V.

N. B. Existunt quinque festa, quae in parte hiemali breviarii lectionem IX propriam habent, sed non in parte verna. Quid nunc agendum est? Tempore quo pars verna breviarii adhibetur, lectio VIII est dividenda, vel si sit brevior, ex VII et VIII faciendae sunt tres lectiones. Ordo 1956 universalis Ecclesiae indicat sequentes divisiones:

Feb. 22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiae: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Et super hanc ».

Feb. 24 S. Matthiae: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Et fabrica quidem ».

Feb. 27 S. Gabrielis a Virg. Perdolente: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Iesus autem ».

Mar. 8 S. Joannis de Deo: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Et iterum ».

(Feb. 11 Apparitio B. M. V.: Ordo 1956 universalis Ecclesiae nihil indicat, quia anno 1956 hac die pars hiemalis adhibetur).

c) Si in breviario habetur rubrica « Si IX lectio alicuius officii commemorati dicenda non sit, tunc ex VIII lectione fiunt duae, quarum prior desinit ad signum », haec rubrica applicanda est. Hoc occurrit in sequentibus festis kalendarii universalis Ecclesiae:

Jan. 18 Cathedra S. Petri Ap. Romae: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « O in nuncupatione ».

Mai. 3 Inventio S. Crucis: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Intendat et intelligat ».

Jul. 2 Visitatio B. M. V.: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Non enim ».

Aug. 1 S. Petri Ap. ad Vincula: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Felices illi nexus ».

Aug. 29 Decollatio S. Joannis Baptistae: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Vincebat enim ».

Oct. 7 S. Rosarii B. M. V.: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Quidquid horum ».

Nov. 11 S. Martini: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Denique lucerna ».

d) Si in breviario habetur rubrica « Si IX lectio alicuius officii commemorati dicenda non sit, ex VII lectione fit etiam VIII, incipiendo a signo, et lectio VIII legitur ut IX », haec rubrica applicanda est. Hoc occurrit in sequentibus festis kalendarii universalis Ecclesiae:

Mai. 27 S. Bedae: ex VII lectione fit etiam VIII a verbis « Vos estis lux ».

Aug. 7 S. Caietani: ex VII lectione fit etiam VIII a verbis « Sed qui servit ».

e) Si in festis cum lectionibus tertii nocturni propriis in breviario nullae rubricae dantur, proprio arbitrio lectio VIII est dividenda, vel si sit brevior, ex VII et VIII faciendae sunt tres lectiones. Hoc occurrit in festis sub *b* N.B. enumeratis, praeterea in festo S. Cyrilli (18 mart.), denique in sequentibus festis pro quibus Ordo 1956 universalis has divisiones indicat:

Septem Dolorum B. M. V. (tempore Passionis): ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Huius itaque ».

SS. Trinitatis: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Denique Patrem ».

D.N.I.C. Regis: ex VIII lectione fit etiam IX a verbis « Poterat autem ».

f) In kalendario universalis Ecclesiae iam antea sequentes commemorationes lectionem IX historicam non habebant :

Mai.	31	S. Petronillae	Jul.	25	S. Christophori
Jul.	12	Ss. Naboris et Felicis	Aug.	28	S. Hermetis
	20	S. Margaritae	Dec.	4	S. Barbarae.
	23	S. Liborii			

4. De commentariis. In *Periodica* 44 (1955) 241-242 iam dedimus primam bibliographiam, quam nunc aliquomodo determinare ac complere volumus.

a) De *Editionibus Liturgicis* (Roma, Via Pompeo Magno 21) nobis iterum agendum est.

Die 18 iunii 1955 A. Bugnini in *L'Osservatore Romano* annuntiavit « Ordinem pro Ecclesia universali » et commentarium in « Ephemerides Liturgicae ».

In hebdomada 19-25 iunii editus est commentarius : A. Bugnini C. M. — I. Bellocchio C. M., *De rubricis ad simpliciorem formam redigendis. Commentarium ad decretum S. R. C. diei* 23 *martii* 1955, in *Ephemerides Liturgicae* 69 (1955) 113-208 ac simul in *Bibliotheca « Ephemerides Liturgicae », sectio practica* 7 (100 p.); huius commentarii *Editio altera emendata et aucta* (108 p.) mense septembri edita est. Praeterea habetur editio italica, seminaristis ac religiosis laicis adaptata : A. Bugnini C. M., *La semplificazione delle rubriche. Spirito e conseguenze pratiche del Decreto della S. C. R. del* 23 *marzo* 1955 (124 p.).

Etiam altera parte mensis iunii editus est *Ordo divini officii recitandi sacrique peragendi iux-*

ta kalendarium universalis Ecclesiae pro anno Domini bissextili 1956 (156 p.)[6].

In hoc Ordine 1956 universalis Ecclesiae (non autem in commentario Bugnini-Bellocchio) hoc anno existit haec nota: « Ordo huius anni redactus est collatis consiliis cum competenti Auctoritate ». Quapropter haec norma nobis videtur aequissima: quoad praxin, in conficiendis kalendariis, maxima conformitas cum Ordine 1956 universalis Ecclesiae commendanda est, propter notulam de « collatis consiliis cum competenti Auctoritate »; quoad theoriam, in conficiendis commentariis, debita libertas auctorum defendenda est, ut adlaboratio universalis peritorum fructum ferat.

Post promulgationem decreti S. R. C. diei 2 iunii in numero 8°, die 25 iunii edito, AAS 47 (1955) 418-419, perspicuum est commentarium Bugnini-Bellocchio et Ordinem 1956 universalis Ecclesiae continere omnes interpretationes ac novitates quas hoc decretum postea promulgavit. Sed idem commentarius et idem Ordo alias interpretationes et novitates praebent, de quibus in decreto 2 iunii quaestio non est; ergo habetur dubium theoreticum, utrum omnes interpretationes ac novitates huius commentarii et Ordinis, propter notam de « collatis consiliis cum competenti Auctoritate », sint mens expressa S. C. R., an decreto 2 iunii Sa-

---

6 Hic Ordo non est editio officialis vel semi-officialis Sanctae Sedis sed editio privata Congregationis Missionis praesertim in utilitatem missionum. Propter eius interpretationem fidelem rubricarum et accuratam applicationem legum casibus mobilibus uniuscuiusque anni, multis kalendaristis ubique terrarum dux securus est.

cra Congregatio Rituum eas tantum ex parte suas manifestaverit.

Interim *altera editio correcta* Ordinis 1956 universalis Ecclesiae edita est.

Praeterea editus est *Ordo divini officii recitandi sacrique peragendi pro clero saeculari romano por anno Domini bissextili 1956.* Città del Vaticano, Libreria Editrice Vaticana, 1955, 146 p. Hic Ordo secundum *L'Osservatore Romano* 2 dicembre 1955 iterum novitates ac interpretationes continet, auctoritate *responsorum S. C. R.* ad « Ephemerides Liturgicae » quae in numero 1° *Ephemeridum Liturgicarum* mense ianuarii 1956 edentur.

b) Praeterea speciali mentione dignae sunt dissertationes : *Die neuen Rubriken in Brevier und Messe. Praktische Uebersicht und Einführung in das Dekret der Hl. Ritenkongregation über die Rubrikenvereinfachung.* Im Auftrag des Liturgischen Instituts herausgegeben von Theodor SCHNITZLER. Köln, Verlag für kirchliches Schrifttum, 1955. 63 p. — A. BASSAN, *Semplificazione delle rubriche del Breviario e del Messale.* Torino, Marietti, 1955. 48 p. — J. LOEW C.ss.R., *Priesterliche Frömmigkeit und Rubrikenvereinfachung. Randbemerkungen zum Generaldekret der Ritenkongregation*: Theologisch-Praktische Quartalschrift 103 (1955) 177-196 (cum versione neerlandica in : Nederlandse Katholieke Stemmen 51 [1955] 233-248).

5. DUBIA NOSTRA ET MANIFESTATIO NOVITATUM. Ad obsecundandum uniformitati interpretationis et strictae observationi legis, proponimus sequentia :

Ord. II 3: Voces « ritu duplici I classis » nobis non omnino rectae videntur secundum terminologiam usitatam; sunt enim *Dominicae maiores I classis* sub ritu duplici (sive I classis, sive maiori, sive minori). Si revera admittendum esset omnes Dominicas, de quibus Ord. II 3 agit, esse ritus duplicis I classis, Ord. II 5 ad eas non spectaret, ergo earum antiphonae duplicandae essent. Quia libri liturgici interim servantur prouti exstant, hoc esset in iis aeque inconveniens ac in ceteris Dominicis. Ceteroquin est quaestio mere theoretica.

In Additionibus et Variationibus in Rubricis Breviarii VI 1 legitur: « Dominicae maiores habent Vesperas integras in concurrentia cum quovis festo quod non sit duplex I aut II classis ». Vi Ordinationis II 3 Dominicae maiores I classis habent Vesperas integras in concurrentia cum quovis festo, etiam duplici I aut II classis. Secundum tabellam in commentario Th. Schnitzler [7], *Dominicae maiores II classis* habent Vesperas integras in concurrentia cum quovis festo quod non sit duplex I classis; haec novitas admittenda non videtur, etiamsi in analogia est cum Ord. II 3.

Ord. II 7: *Festa tituli vel mysterii Domini* sunt festa quibus recolimus mysteria vel titulos Verbi Incarnati et quae dicuntur stricto sensu festa « Christi Domini » (Comment. 160, 166, 170). Ergo Ord. II 7 non spectaret ad festa Ss. Trinitatis, Pentecostes et Dedicationis Ecclesiae, quae dicuntur festa « Domini » sed non « Christi Domi-

---

[7] Th. Schnitzler, *Die neuen Rubriken in Brevier und Messe.* Köln 1955, p. 42.

ni ». Haec distinctio necessaria esse videtur secundum ipsum textum decreti, nam in Ord. II 7 est quaestio de festo cuiusvis « tituli vel mysterii Domini », cum alibi v. g. Ord. IV 12 b et V 7 agitur de festis « Domini » in genere. Tamen nunc putamus cum EdLit 19, Ord. II 7 spectare ad omnia festa ét « Christi Domini » ét « Domini », et quidem propter hanc rationem: Ord. II 7 agit de festis *cuiusvis* tituli vel mysterii Domini, et vox « cuiusvis » indicare vult omnia.

Ord. II 9: Quia *vigilia Omnium Sanctorum* suppressa est, etiam videtur esse suppressa lex abstinentiae simul et ieiunii [8].

Ord. II 13: EdLit 26, 35, 64, 71, 91 et 92 cum Ordine 1956 universalis Ecclesiae conservant totam *octavam Nativitatis* cum omnibus festis infra hanc octavam et die octava occurrentibus, prouti nunc celebrantur, et quidem propter hanc rationem: « Est solutio compromissi, donec aliter provisum fuerit. Quaelibet alia solutio, modo, res magis complicatas reddidisset ».

Secundum nostram opinionem, quod ad dies infra octavam attinet, novae Ordinationes de commemorationibus et de « Credo » ad eos spectant [9]. Quod ad festa infra hanc octavam vel die octava occurrentia attinet, omnes Ordinationes novae ad ea spectant, nam Ord. II 13 agit tantum de « diebus infra octavam Nativitatis Domini, quamvis eleventur ad ritum duplicem » et non de festis in-

[8] Vide J. Loew C.ss.R., *Priesterliche Frömmigkeit und Rubrikenvereinfachung*: TheolPraktQuartalschr 103 (1955) 185.

[9] Si in Ordinationibus habentur verba « celebrantur prouti nunc », saepius difficultates interpretationis oriuntur.

fra octavam vel die octava occurrentibus. Denique nobis videtur complicatio crescere, si interpretatio EdLit valeret, nam post annum fere omnes rubricarum antiquarum obliti erunt.

Ord. II 16: Verba « uti nunc sunt in octava Epiphaniae » creant difficultatem: nobis videtur festum *Commemorationis Baptismatis D.N.I.C.* non habere I Vesperas et eius officium ordinari debere secundum Ord. IV 12 b.

Ord. III 2: Secundum EdLit 35 elencho *commemorationum privilegiatarum* addenda est octava Nativitatis Domini, de qua semper fit commemoratio (vide supra notam ad Ord. II 13).

Ord. III 3 (et S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad IV): Dubium est, utrum *numerus ternarius orationum* includat orationem sub unica conclusione cum oratione diei faciendam et orationes votivas late dictas. Etiam dubium est, utrum orationes votivae stricte dictae admittantur, dummodo cum omnibus aliis orationibus numerum ternarium non excedant. Vide supra numerum 1.

Ord. III 4: Quomodo nunc sint rubricae de *commemorationibus S. Petri vel S. Pauli* in festis S. Pauli vel S. Petri quod attinet ad numerum commemorationum communium, Missam cantatam, ordinem orationum?

Praeterea in Ordine 1956 universalis Ecclesiae habetur haec novitas quae in se conveniens videtur: *Missa votiva solemnis* prohibetur infra octavas Paschatis et Pentecostes. Revera, quia Missae votivae solemnes nullam admittunt commemorationem communem, habetur hoc mirum, quod in eis non fit commemoratio dierum infra octavas

Paschatis vel Pentecostes; ergo fit commemoratio Quattuor Temporum Septembris sed non Quattuor Temporum Pentecostes (vide Comment. 89).

Ord. III 5: Propter varias rationes haec ordinatio de *privilegiis commemorationum suppressis* secumfert plura dubia. Ad ea solvenda, primo proponimus novum textum rubricae generalis correctum ac suppletum:

« Commemorationes non amplius gaudent: *a*) *in officio,* versu proprio in responsorio brevi ad Primam, doxologia propria in hymnis, et lectione IX (vel III) historica vel evangelica (cfr. Ord. II 21 et S. C. R., Dubia 2 iunii 1955, ad V); *b*) *in Missa,* Credo, praefatione propria et evangelio proprio (cfr. Ord. V 9 cum exceptionibus) ».

Nunc inquirendum est, utrum ille textus sit ad mentem legislatoris.

Quoad versum in responsorio brevi ad Primam, doxologiam in hymnis et praefationem, bene notandum est Ordinationem agere tantum de iis, quae sunt commemorationum *officii* vel *Missae* propria, et non de iis quae sunt *temporis* propria [10].

Quoad subiectum huius Ordinationis, nobis videtur vox « festa commemorata » (in Ord. III 5 et in S. C. R., Dubia 2 iunii, ad V) non stricte sed late intelligenda esse, ita ut liceat scribi « commemorationes ». Probatur: Omnes auctores post decretum 2 iunii 1955 admittunt non tantum festa commemorata sed etiam commemorationes Dominica-

---

[10] Propterea in Ord. III 5 verba « exceptis diebus de quibus Tit. II, nn. 14-17 » melius omittuntur, nam hisce diebus versus ad Primam, doxologia et praefatio sunt temporis propria.

rum, feriarum ac vigiliarum non amplius gaudere lectione IX historica vel evangelica. Praeterea quoad ferias, vigilias ac octavam Nativitatis, nulla exceptio necessaria est, nam versus in responsorio brevi ad Primam, doxologia in hymnis et praefatio hisce diebus sunt vel communia vel temporis propria (ergo nunquam officii vel Missae propria) et Credo eis secundum Ord. V 7 non competit [11].

Quoad Dominicas tamen habentur difficultates. EdLit 37 dicunt Ord. III 5 propter verba « festa commemorata » ad Dominicas commemoratas non spectare [12]. Nobis tamen videtur Ord. III 5 spectare etiam ad Dominicas commemoratas et ad commemorata festa Domini in Dominicis occurrentia, quae secundum Ord. II 7 locum tenent Dominicae. Erga secundum nos Dominicae commemoratae et commemorata festa Domini in Dominicis occurrentia non amplius gaudent: 1. versu proprio ad Primam et propria doxologia in hymnis [13]; 2. lectione IX evangelica; 3. Credo; 4. praefatione Missae propria [14]; 5. evangelio proprio (vide tamen Ord. V 9).

---

11 Secundum Ord. V 7 octava Nativitatis non habet Credo; vide tamen notas ad Ord. II 13 et V 7.

12 EdLit nullam mentionem faciunt commemoratorum festorum Domini in Dominicis occurrentium, quae secundum Ord. II 7 locum tenent Dominicae.

13 Bene notandum est in Dominicis versum ad Primam et doxologiam in hymnis non esse officii propria sed temporis propria (in Dominicis post festa Corporis Christi et SS. Cordis Jesu versus ad Primam et doxologia in hymnis interim considerari possunt etiam temporis propria).

14 Bene notandum est in Dominicis omnes praefationes esse temporis proprias et non Missae proprias. Ergo etiam praefatio

Ergo textus noster non tantum solvit difficultates sed etiam totam materiam comprehendit. Sin autem in omnibus Dominicis, sive eorum officia celebrantur, sive commemorantur, sive nihil de eis fit, Credo dicendum est (sicuti esse videtur communis sententia auctorum), textui nostro addenda est notula: « At vero in Dominicis Credo semper dicitur ». Tandem aliquando, si in Dominicis etiam quoad praefationem exceptio necessaria esset (quod non videtur esse communis opinio auctorum), ea in eadem notula addi posset.

Ord. IV 7: Si diebus Quattuor Temporum Septembris Vesperae sunt de feria, earum oratio est de Dominica et non de officio Quattuor Temporum; sin autem illae Vesperae impediuntur, de iis nulla commemoratio facienda est (vide Comment. 26). Ergo *Preces feriales* in his Vesperis non dicendae esse videntur.

Ord. IV 11: In Ordine 1956 universalis Ecclesiae habetur haec novitas: vespere diei 2 novembris, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, fiunt *Vesperae* Defunctorum sub ritu duplici atque Completorium Defunctorum proprium, ut in Breviario notatur die 1 novembris.

Ord. IV 12 c: Secundum nos in hac sectione comprehenditur etiam *vigilia Nativitatis Domini* (vide Comment. 21). EdLit 53 hanc sententiam et-

---

Trinitatis dicenda est, si Dominica commemoratur et Missa celebrata propriam praefationem non habet, nam haec praefatio Dominicis competit non ratione Dominicae sed ratione temporis. EdLit 38 tamen Dominicis commemoratis non admittunt praefationem Trinitatis, nam eam Missae propriam dicunt.

iam admittunt; ergo rubricae Ordinis 1956 universalis Ecclesiae mutandae sunt.

Ord. IV 14: Non intelligimus, cur EdLit 54-56 non applicant Ord. IV 14 ad festa sanctorum, quae habent *lectiones I nocturni* non proprias sed de Communi assignatas, sicut nos agimus in Comment. 38. Sin autem nostra sententia admittenda est, manet dubium quoad lectiones scripturisticas de Communi in festis B.M.V. (vide Comment. 36).

Ord. V 2: *In Missis votivis defunctorum,* si sine cantu celebrentur, dici possunt tres orationes; ergo secundum nos nec duo nec plus quam tres dici possunt.

Ord. V 7: In EdLit 64-65 habetur haec novitas: *Credo* etiam dicitur infra octavas Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini (etiam si de diebus infra octavam Nativitatis fit tantum commemoratio). Quoad Dominicas commemoratas, vide notam ad Ord. III 5.

Ord. V 8: J. Loew C.ss.R.[15] et EdLit 65-66 quoad normas quae praefationes Missis adscribunt, introducunt novam distinctionem, quae in hac materia non existebat et in capite de lectionibus scripturisticis nullum effectum habet (vide Comment. 37), scil.: *praefationes* propriae manent, praefationes appropriatae supprimuntur. Secundum EdLit 65-66 praefationem appropriatam amittunt sequentes Missae:

Praefatio de Nativitate Domini non dicitur in festo Transfigurationis Domini, in festo Corporis

---

15 J. Loew C.ss.R., *Priesterliche Frömmigkeit und Rubrikenvereinfachung:* TheolPraktQuartalschr 103 (1955) 195.

Christi, in Missis votivis eorumdem festorum, in Missis votivis Ss. Eucharistiae (videtur esse dicenda in Missa votiva Ss. Nominis Iesu).

Praefatio de Epiphania non dicitur in Missis votivis S. Familiae.

Praefatio de Apostolis non dicitur in festis Summorum Pontificum, in Missa Creationis et Coronationis Papae et utriusque anniversario.

Haec nova norma nobis videtur aliquomodo arbitraria. Cur v. g. praefatio de Trinitate non dicitur tempori appropriata in Dominicis? Festum Corporis Christi quod essentialiter cum mysterio Nativitatis connexum est, in breviario doxologia hymnorum et versu ad Primam hanc connexionem indicare pergit sed non iam in Missa praefatione de Nativitate Domini [16].

S. C. R., Dubia 2 iunii 1956, ad IX: In Ordine 1956 universalis Ecclesiae habetur haec novitas: *Oratio votiva late dicta Ssmi Sacramenti* recitanda est primo loco, sub altera conclusione, ante orationes a rubricis praescriptas et ante collectas a loci Ordinario imperatas [17].

H. SCHMIDT, S. J.

---

[16] Quoad praefationem de Trinitate, si Dominica commemoratur, vide supra notam ad Ord. III 5.

[17] Aliud dubium habetur supra in numero 2 (nota 4).

Commissione Pontificia per l'interpretazione del Codice di Diritto Canonico P 1/55, 12 ott. 1955

Reverendissimo Padre

In data 17 gennaio u. s. la Paternità Vostra Reverendissima, per incarico del Suo Rev.mo Padre Generale, proponeva a questa Pontificia Commissione il seguente dubbio:

« Utrum vi can. 711, par. 2 locorum ordinarii stricte teneantur erigere in qualibet paroecia Confraternitatem Doctrinae Christianae, an eius loco possint, secundum pecualiaria adiuncta, instituere piam unionem vel sodalitatem Doctrinae Christianae.

A tale dubbio si reisponde: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Con sensi ... della Paternità Vostra Rev.ma

dev. nel Signore
A. Coussa Segret.

Rev. P. Timotheo Bouscaren, S. J.
Procuratore Generale
della Compagnia di Gesù

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

R. P. BENDER LUDOVICUS O. P., Iur. Can. apud A.P.I. Angelicum Professor.

R. P. BERTRAMS WILHELMUS S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. BIDAGOR RAYMUNDUS S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. FUCHS IOSEPHUS S. I., Prof. Theol. Mor. in P. U. Gregoriana.

R. P. GUNDLACH GUSTAVUS S. I., Prof. Eth. et Sociol. in P. U. Gregoriana.

R. P. HUIZING PETRUS S. I., Prof. Hist. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. HURTH FRANCISCUS S. I., Prof. Theol. Mor. in P. U. Gregoriana.

R. P. SCHMIDT HERMANUS S. I., Prof. Inst. Liturg. in P. U. Gregoriana.

R. P. SZENTIRMAI A. Sac., Doctor Coll. in Fac. Theol. Budapestin.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

INDEX MONUMENTORUM

INDEX ALPHABETICUS RERUM